



ANDOVER-HARVARD LIBRARY
AH 5AI5 M


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

ARGUMENTA PRO DEI EXISTENTIA EXPONUNTUR ET JUDICANTUR.

PARS I.

INTRODUCTIO.

CAPUT I. NOVUM ARGUMENTUM EXPONITUR.

CAPUT II. ARGUMENTUM ONTOLOGICUM EXPONITUR ET JUDICATUR.

AD LEGENDI VENIAM

IN UNIVERSITATE LIPSIENSI

OBTINENDAM

CONSCRIPSIT


GUSTAVUS ADOLPHUS FRICKE,

DR. PHIL. ET AA. LL. MAG. THEOL. LIC. IN AEDE PAULINA PRAEDICATOR EVANGELII POMERIDIANUS.

LIPSIAE

IMPENSIS LIBRARIAE WEIDMANNIAE

1846.




Introductio.

Quo tempore horribile illud Tertulliani (de carne Christi 5.) „credibile est quia ineptum — certum est, quia impossibile“ *) denuo in lucem est projectum **), permulti receptui certe canunt et omnes philosophiae suppetias cum ostentatione nescio qua vilipendunt ac condemnant; eo majoris profecto videtur audaciae esse, rem quandam sine ulla dubitatione theologicam sed arctissime connexam illam quidem cum rationibus philosophis sub examen vocare apud ordinem theologicum, quo distinctius vel SCHLEIERMACHERUS, vir philosophiae studio admodum deditus, declaravit, tum demum futurum esse, ut theologia firma jaciat fundamenta, ubi theologia et philosophia prorsus inter se fuerint dissociatae. (Similiter etsi e suo loco videlicet contemtu religionis Christianae FEUERBACHIUS: *Ueber Philosophie u. Christenth., in Beziehung auf den der hegelschen Philosophie gemachten Vorwurf der Unchristlichkeit* 1839. p. 31.) ***) Quod quo jure SCHLEIERMACHERUS potis-

*) cf. ejusdem Praescript. 6—13. „Nobis curiositate non opus est post Christum nec inquisitione post evangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod ultra credere debemus.“

**) Frauenstadt. *„Die Menschwerdung Gottes“* praef. p. V. Orthodoxi plerique nostra memoria in gratiam redierunt cum iis principiis, quae a Gerh. (loc. theol. de eccl. T. VI. p. 129.) et severius etiam a Quenst. (Syst. I. p. 39. et 42. cf. Ambrosii de Abrah. II. 10. theologiae ancillam) proposita sunt.

***) cf. ejusdem: *Darstellung u. Kritik der Leibnitz. Philosophie* p. 134.



simum prolocutus sit, qui si quis alius philosophe tractasse reperitur doctrinam dogmaticam, haud facile quisquam intellexerit, qui theologiae maxime SCHLEIERMACHERIANAE indolem ac philosophiae naturam paullo interius rimatus sit: illud autem hoc loco non possum non certe profiteri, utraque demum doctrina penitius consociata, theologiae recte consultum atque eam apud omnes paratum iri existimationem, qua doctrina omnibus vehementer commendanda carere prorsus non potest. Nimirum tantum abest, ut theologiae studium ita institutum, a scriptura sacra, totius theologiae fundamento immutabili abducat, ut „leviores haustus in philosophia a deo avocent (id quod magnam partem recentissima ostendit philosophia), pleniores ad deum revocent“ (Baco Verulamius de augment. scientiar. l. I. 5.), immo Christus quoque ejusque revelatio clariore in dies lumine circumdetur necesse sit. Intimo enim pectore amplectimur ea, quae BOCKSHAMMER anno jam 1822 scripsit (*Offenbarung u. Theologie* p. 216.): „*Es gehört durchaus nicht zum Wesen der Philosophie, auf Läugnung höherer Offenbarung auszugehen; vielmehr wird durch eine lebendige philosophische Ansicht, die Offenbarung nur um so annehmlicher gemacht.*“ cf. DROBISCH (*Religionsphilos.* 1840. p. 250—279.) p. 262: „*Ein unausgesetztes Zurückgehen auf die heil. Schrift ist ein tiefes Bedürfniss unserer Zeit.*“ p. 278: „*Wie Achilles Lanze nur selbst die Wunden heilen konnte, die sie geschlagen, so auch das Denken der Philosophie, das sich bewusst werden muss, wenn es zu weit gegangen ist* (ita profecto saepissime nostra memoria) — *wenn es zerstört hat, wo es hätte schützen und erhalten sollen*“. (cf. HERBARTI introduct. ad philosoph. pluribus locis). — Atqui quamquam hac nostra aetate, quae aut in clara luce caligare habet in deliciis aut libertatis splendore occoecata res divinas prae-

cipitato saepe judicio abjicit, intima mea persuasione nullum aliud est libertatis capessendae et recta dirigendae praesidium nisi philosophiae et theoreticae et practicae conscientia usquequaque et profunde excitata; tamen nunc quidem verbo id monuisse juvat iis, quibus forsitan hoc ipso nomine haec nostra scriptio in gravem quandam reprehensionem incurrere videatur.

Etenim aliud quid mentem occupat, quod longe difficilius videri possit ad expediendum. Nimirum hoc nobis, scriptionis istius opportunitate oblata, proposuimus, ut argumenta pro dei existentia *) allata paullo diligentius rimemur et quandoquidem omnia, quorum notitiam contraximus, a vero recedere persuasum habemus, novum ad judicandum expromamus argumentum. Atenimvero videri nobis videmur nubem eorum, qui toti huic consilio ut inutili et supervacaneo refragentur atque cum eodem timore, quo Hegelius (*Vorlesungen über das Dasein Gottes*, opera XII. p. 292) aliquando lectiones suas de dei existentia est exorsus, ne supervacaneum quiddam suscipere videretur, me quoque ad hanc scriptionem accessisse libere et ingenue confiteor. Alii enim id ipsum vehementer reprehendunt, si quis theologus dei existentiam argumentis probandam suscipit, quippe quod theologo extra omnem dubitationem positum esse debeat. Ita Reinhard. in Dogmat. (edid. Berger et Schott) §. 30., ubi argumenta ista si non e theologia, at certe e dogmatica doctrina semovenda arbi

---

*) Probe scio Latinos scriptores melioris notae hanc vocem non usurpasse. „Sed in tanta verborum aptorum penuria dandum est aliquid consuetudini, praesertim si tum brevitas tum perspicuitas orationis juvatur.“ Haec Stallbaumii (Platonis opera Vol. I. Sect. I. praef. p. XXII.) verba eo promptiore animo facio mea, quod et praeceptor meus fuit summe rereverendus et orationis Latinae mirabili quodam splendore nitet et sinceritate.

tratur. A dogmaticis ecclesiae nostrae vetustioribus (perpaucis exceptis veluti Baiero) argumenta ista flocci ducuntur, quippe quum argumentorum reliquorum omnium loco exhibendum sit id, quod a revelatiore ipsa petatur. „Nimirum deus ubi sese manifestavit, *esse* etiam debebit“ *). Antiqui dogmatici quum despicatui fere habeant praeter hoc unum argumentum reliqua omnia, item exploduntur et ipsi a recentioribus dogmaticis liberioribus. Attamen neutrum cum vero concordare putandum. Nam circulus, quem dicunt in tota hac argumentatione latere, iis tantum dogmaticis opprobrio est vertendus, qui fidem scripturae sacrae ut revelationis absolutae fonti esse habendam, argumentis evincere non sint conati. Quodsi cui ex aliquibus quibuscunque causis *rationalibus* persuasum est, fidem Christo adjungendam esse indubiam ejusque verba aut certe sensa vere ad posteritatis memoriam esse propagata: ne illud quidem in dubitationem poterit adduci, quin deus Christo teste locupletissimo, revera exstet. Quid enim? An hoc vel articulum temporis poterit dubium esse iis, qui Christum, ipsius testimonii vel potius gravitatis moralis, qua Christus nobis sese offert, pondere commoti, dei filium habeant? Non credo equidem; ac quum mihimet ipsi, quod modo memoravi, justissimis opinor de causis persuasum sit, ego certe nunc temporis satis haberem Christi pro dei existentia testimonio. — Atenimvero jam per

---

*) Referuntur vulgo ad eandem hanc argumentationem etiam Ullmann. in Stud. et Crit. 1835. p. 602., cui Christi personae indoles summam quandam naturam, praestantiae illius causam ac fontem, loqui videtur et Storr. (*Lehrb. der Dogmat.* p. 262. §. 19.), qui e miraculis a Christo ejusque discipulis perpetratis et ad consilium potentiamque dei relatis, argumentum pro dei existentia petere conatur. Sunt autem haec argumenta, quatenus non in sola fide Christo habenda nituntur, eadem atque argumentum teleologicum, quod nullam habere vim cogentem infra in clara luce collocare studebimus.

se incommodi aliquid habet, vel ulla in re *soli* esse auctoritati emancipatum, quum omnino Christi praestantiam *internam* potius quam dignitatem metaphysicam arripere et amplexari nobis conducat. Provocatur enim ratio, ut suo quoque Marte rem tam gravem fundare conetur *). Huc accedit, quod illa de Christi persona persuasio e multis ac gravibus difficultatibus dubitationibusque extricanda est quodque cavendum nobis est magnopere, ne indefesso rationis usu, patribus ecclesiasticis et scholasticis reperiamur inferiores, quippe qui philosophiam ancillam quidem theologiae habuerint, sedtamen ad unum omnes fere Anselmo Cantuariensi („cur deus homo?“ cap. 2. init.) interprete usi esse existimandi sint: „Negligentia videtur, si postquam confirmati sumus in fide, non studemus, quod credimus, intelligere“ **). Quid quod nostra memoria permultis deest persuasio illa, cui argumentum a revelatione petitum superstruitur et vero etiam propalam aut tacite ipsa de dei existentia persuasio aut evanuit (id quod saepenumero maxima cum admiratione et indignatione sum expertus) aut ea dominatur dei notio, quae deum personam tollat atque ita, ut infra certe per transennam ostendemus, deum ipsum ad nihilum redigat. Quamvis igitur argumen-

---

*) Quamquam ne hoc quidem loco oblivione est oblitterandum, quod ubi de causis *rationalibus* alicujus rei fidem amplexi sumus, nemini si verum quaerimus, fidem adjungimus nisi rationi *propriae*. En tibi, cur nemo quisquam, modo suimet ipsius sit conscius, alibi se niti putare queat, atque in rationis auctoritate i. e. nihil aliud sit quam rationalista.

**) Saepius ad istum locum provocavit Hegelius, quem ad religionis quoque *intelligentiam* sedulo adspirasse in vulgus fere est notum (cf. v. c. Encycl. §. 77. nota). Ceterum Augustinus *saepe* eandem sententiam eloquitur cf. in Joann. tractat. 29. §. 6. „intellectus merces est fidei“. cf. Liebner de Hugone Victore p. 173 seq., ut taceam Abaelardum illius aetatis facile liberrimum. — Tralatitium est autem, ipsam scripturam sacr. saepenumero viam rationalem commonstrare, qua homines ad dei exstantis conscientiam perveniant. cf. Strauss. Dogm. I. §. 21.

tum illud Christi testimonio superstructum haudquaquam repudiemus; in ea tamen opinione sumus, ut ita quoque de argumentis mere rationalibus quamobrem disquiramus, plurimum habere nos censeamus.

Atqui alios nobis occurrere video eosque minime contemnendos. Nubem dico eorum, qui ad immediatam dei conscientiam nescio quam provocent aut ullum pro dei existentia argumentum proferri posse praefracte negent. Ita Schleiermacherus ille, quem etsi persuasum habemus ubi a theologis *philosophis* melius erit perspectus, majorem etiam in theologiam certe exsuscitandam esse vim exhibiturum, tamen miram hanc sententiam prodere meminimus (*Glaube* edit. 3. p. 171. 174—6.): „*Die Anerkennung, dass das schlechthinnige Abhängigkeitsgefühl — nicht etwas Zufälliges ist, noch auch etwas persönlich Verschiedenes — ersetzt für die Glaubenslehre vollständig alle sogenannte Beweise für das Dasein Gottes.*“ Antesignanus hujus sententiae *recentiore* tempore tam saepe repetitae habendus est Jacobi, qui quum Kantius (per criticam purae rationis) argumenta in schola Wolfiana potissimum vehementer concelebrata latefactasset nec argumento practico, quod ipse obtulerat, satisfecisset, ne opus quidem esse argumento pro dei existentia vociferabatur multosque secum abripiebat. Antiquo jam tempore haec eadem sententia saepius fuit prolata; cf. quum Platonismum tum Arnobium (disput. adv. gent. I. p. 11.): „Quisquamne est hominum, qui non cum istius principis (dei) notione diem primae nativitatis intraverit: cui non sit ingenitum, immo infixum — non insitum, esse regem ac dominum cunctorum, quaecunque sunt, moderatorem?“ Postea temporis etiam Cartesius innatam nobis esse dei ideam docuerat. Fuse autem et ingeniose rem suam persecutus est Jacobi in libello, qui inscriptus est „*Von den göttlichen Dingen und ihrer*

Offenbarung 2. *Aufl.* 1822" (usus sum edit. I. 1811), ubi conferas praecipue prolixam libelli introductionem p. 1—40. et p. 202: „*Mystisch, durchaus geheimnissvoll ist der Beginn unserer Erkenntniss, die unbegreifliche Voraussetzung eines alles Wahre, Gute und Schöne in sich fassenden und ausser sich erzeugenden Urwesens.*" Ejus vestigia promptissimo animo pressit (ut multos alios silentio praetermittam) tota schola Frisiana (cf. Fries *neue Krit. der Vernunft* I. p. 278. — ejusdem *Wissen, Glaube, Ahndung* 1805. p. 118.) et Schleiermacherus. Redimus igitur in memoriam de Wettii, qui p. 55. (*Dogmat. der protest. Kirche* 3. *Aufl.* 1840) negat dei ideam argumentis posse ostendi et solam hujus notionis nobis insitae deductionem concedit: Twestenii (*Vorlesungen über die Dogmat. der evangel. luther. Kirche* Tom. II. parte I. p. 17 seq.) Nitzschii *) (*System der christl. Lehre* 4. *Aufl.* 1839. p. 125. et maxime 130.) Ammonis (*Fortbildung des Christenth.* tom. I. p. 67.) et Baumgarten-Crusii (*Grundriss der evangel. luther. Kirche* p. 23. „*der Glaube an Gott liegt in dem Menschen als unmittelbar gegeben*") cf. Köppen *Philosophie des Christenth.* tom. I. p. 20. — Ch. G. Schmidt *Religion u. Theologie nach ihrem Wesen u. Fundament* tom. I. p. 202., qui certe immediatam quandam naturae absolutae efficaciam in fide ejus amplectenda docet. —

Excutiamus igitur conscientiam nostram. Ac Schleiermachero quidem concedendum est, nos quae est imbecillitas nostra, dependendi conscientiam si non immediatam at certe facile expeditam habere. Atenimvero *haec* conscientia dependendi nec *absolutae* (*schlechthinnig*) est dependentiae (sumus enim liberi); nec ad deum ducit *personam* (quidni enim ex ordine quodam extra nos posito suspensi simus?)

---

*) Edit. 5. mihi non fuit ad manum.

tum illud Christi testimonio superstructum haudquaquam repudiemus; in ea tamen opinione sumus, ut ita quoque de argumentis mere rationalibus quamobrem disquiramus, plurimum habere nos censeamus.

Atqui alios nobis occurrere video eosque minime contemnendos. Nubem dico eorum, qui ad immediatam dei conscientiam nescio quam provocent aut ullum pro dei existentia argumentum proferri posse praefracte negent. Ita SCHLEIERMACHERUS ille, quem etsi persuasum habemus ubi a theologis *philosophis* melius erit perspectus, majorem etiam in theologiam certe exsuscitandam esse vim exhibiturum, tamen miram hanc sententiam prodere meminimus (*Glaube* edit. 3. p. 171. 174—6.): „*Die Anerkennung, dass das schlechthinnige Abhängigkeitsgefühl — nicht etwas Zufälliges ist, noch auch etwas persönlich Verschiedenes — ersetzt für die Glaubenslehre vollständig alle sogenannte Beweise für das Dasein Gottes.*“ Antesignanus hujus sententiae *recentiore* tempore tam saepe repetitae habendus est Jacobi, qui quum KANTIUS (per criticam purae rationis) argumenta in schola Wolfiana potissimum vehementer concelebrata latefactasset nec argumento practico, quod ipse obtulerat, satisfecisset, ne opus quidem esse argumento pro dei existentia vociferabatur multosque secum abripiebat. Antiquo jam tempore haec eadem sententia saepius fuit prolata; cf. quum Platonismum tum Arnobium (disput. adv. gent. I. p. 11.): „Quisquamne est hominum, qui non cum istius principis (dei) notione diem primae nativitatis intraverit: cui non sit ingenitum, immo infixum — non insitum, esse regem ac dominum cunctorum, quaecunque sunt, moderatorem?“ Postea temporis etiam Cartesius innatam nobis esse dei ideam docuerat. Fuse autem et ingeniose rem suam persecutus est JACOBI in libello, qui inscriptus est „*Von den göttlichen Dingen und ihrer*

Offenbarung 2. *Aufl.* 1822" (usus sum edit. I. 1811), ubi conferas praecipue prolixam libelli introductionem p. 1—40. et p. 202: „*Mystisch, durchaus geheimnissvoll ist der Beginn unserer Erkenntniss, die unbegreifliche Voraussetzung eines alles Wahre, Gute und Schöne in sich fassenden und ausser sich erzeugenden Urwesens.*" Ejus vestigia promptissimo animo pressit (ut multos alios silentio praetermittam) tota schola Frisiana (cf. FRIES *neue Krit. der Vernunft* I. p. 278. — ejusdem *Wissen, Glaube, Ahndung* 1805. p. 118.) et SCHLEIERMACHERUS. Redimus igitur in memoriam de Wettii, qui p. 55. (*Dogmat. der protest. Kirche* 3. *Aufl.* 1840) negat dei ideam argumentis posse ostendi et solam hujus notionis nobis insitae deductionem concedit: TWESTENII (*Vorlesungen über die Dogmat. der evangel. luther. Kirche* Tom. II. parte I. p. 17 seq.) NITZSCHII *) (*System der christl. Lehre* 4. *Aufl.* 1839. p. 125. et maxime 130.) AMMONIS (*Fortbildung des Christenth.* tom. I. p 67.) et BAUMGARTEN-CRUSII (*Grundriss der evangel. luther. Kirche* p. 23. „*der Glaube an Gott liegt in dem Menschen als unmittelbar gegeben*") cf. KÖPPEN *Philosophie des Christenth.* tom. I. p. 20. — CH. G. SCHMIDT *Religion u. Theologie nach ihrem Wesen u. Fundament* tom. I. p. 202., qui certe immediatam quandam naturae absolutae efficaciam in fide ejus amplectenda docet. —

Excutiamus igitur conscientiam nostram. Ac SCHLEIERMACHERO quidem concedendum est, nos quae est imbecilli tas nostra, dependendi conscientiam si non immediatam at certe facile expeditam habere. Atenimvero *haec* conscientia dependendi nec *absolutae* (*schlechthinnig*) est dependentiae (sumus enim liberi); nec ad deum ducit *personam* (quidni enim ex ordine quodam extra nos posito suspensi simus?)

---

*) Edit. 5. mihi non fuit ad manum.

...Aufl. §. 104.) H. F. W. Hi...
...n Verhältniss zur Wissensch...
...das Wesen des Christenth. 2...
...illis ad pantheismi rationem...
...tur; deum esse pariter in...
...num illud: „cogito ergo sum...
...I. 76. revera in usum suum...
...tia, qua deus nihil aliud es...
...Anweisung zum seligen Leben...
...zu Gott ist seine eigene L...
...modi sane philosophi omni pro de...
...supersedere poterunt. Amor ho...
...et hominem deum (FEUERB. l...
...io iste nullus est deus. Hac adm...
...or ad necessitatem illam Graecorum...
...expertem, εἱμαρμένην s. πεπρωμέν...
...effinxerant, ipsi sustulisse judicand...
...enim evolvitur principium illud summ...
...m sed ad statum impersonalitatis, qu...
... iis, qui quid sit persona, nesciant, ...
...umscriptio esse videatur. Ita nobis, d...
...alis, nulla relinquitur dei veneratio, ...
...bis ac consimilibus naturis sibi consci...

...ber in uns." Nuncupat vero argumentum istu...
...jure) theologicum. — Item Strauss. in Dogmat...

...er Begriff von Gott ist, ist Gott: er als Begri...
..." Quamquam Hegelius ipse saepius (v. c. Geschi...
...35.) monet, dei existentiam esse quidem ejus cogit...
...tum, verum existentiam ejus realem universam ess...
...omentum" quoddam sit natura, quae cogitet, sing...
„Die Liebe ist Gott selber und ausser ihr kein...
...ligion — ist das Bewusstsein des Menschen von...
...Wesen."

nec omnino est idonea, quae totius doctrinae dogmaticae principium constituatur. Immo hac ipsa in re theologiae SCHLEIERMACHERIANAE error principalis continetur nec argumentum pro dei existentia istic potest fundari. Nimirum statim hoc loco disertis verbis profiteor, quandoquidem nostra quidem memoria non sponte intelligitur: deum non intelligo nisi *personam* et omnem me doctrinam vel argumentationem, quae profitetur pantheismum i. e. deum impersonalem, habere atheismum. Nec arrogantiae id potest attribui, quum inde ab antiquissimis temporibus dei nomen semper fere *personae* fuerit inditum atque ut *personae* designatio per religionis revelatae, cujus nomen gestamus, auctoritatem sit consecratum. Minime fugit me, quod HEGELIUS *) atque omnino schola Hegeliana severior (v. c. Marheinecc. et Schweizerus adeo in concionibus sacris) pantheismum intruserunt religioni christianae et doctrinae ecclesiasticae. Verum hoc non poterat accidere nisi iis, qui aut ejusmodi principia hermeneutica probarent, quibus olim KANTII interpretatio moralis nitebatur aut sani sensus exegetici essent expertes. Non curo equidem hoc loco, ubi hanc rem magis levi brachio tacturus sum quam persecuturus, vel Fichtium (juniorem) vel Weissium vel Hannium vel alios, qui recentiore tempore pantheismum coagmentare studuerunt cum deismo atque ita mea quidem persuasione et deismum et pantheismum corruperunt. Illud vero in oculos incurrit, si quis vel materaliter ut SPINOZA et SCHELLINGIUS vel idealiter ut HEGELIUS (cf. imprimis *vermischte Schriften* tom. XVII. p. 9.), cujus vestigiis institerunt DAUBIUS (theolog. p. 111.) MARHEIN. (*Grundlehren der christl. Dogmat.* 2. *Ausg.* 1829. p. 67. 88. **).) cf. HAS.

---

*) Maxime in „philosophia religionis“, minus in „Encyclopaedia“.

) p. 88. *„Es ist das Denken des Wesens Gottes, welches sich als das Sein Gottes bestimmt.“* p. 91. *„Es ist Gott **nur als das Wis-*

(*Dogmat.* 3. *Aufl.* §. 104.) H. F. W. Hinrichs. (*die Religion im reinen Verhältniss zur Wissenschaft* 1822. p. 97 *).) Feuerbach. (*das Wesen des Christenth.* 2. *Ausg.* p. 13 **).) *ita* igitur si quis ad pantheismi rationem mundum constituendum arbitratur; deum *esse* pariter in propatulo erit, atque Cartesianum illud: „cogito ergo sum" (quod Hegelius Encycl. §. 76. revera in usum suum convertit) et Fichtii sententia, qua deus nihil aliud est quam mundi ordo moralis (*Anweisung zum seligen Leben* 1806. p. 285; „*Unsere Liebe zu Gott ist seine eigene Liebe zu ihm selber*"). Istiusmodi sane philosophi omni pro dei existentia argumentatione supersedere poterunt. Amor hominis deum facit hominem et hominem deum (Feuerb. l. c. p. 71.). Verum enimvero iste nullus est deus. Hac admissa sententia revolvimur ad necessitatem illam Graecorum caecam et conscientiae expertem, εἱμαρμένην s. πεπορμένην dico, qua deos, quos effinxerant, ipsi sustulisse judicandi sunt. In aeternum enim evolvitur principium illud summum per personas quidem sed ad statum impersonalitatis, quum personae condicio iis, qui quid sit persona, nesciant, naturae absolutae circumscriptio esse videatur. Ita nobis, dei scilicet partiunculis, nulla relinquitur dei veneratio, quippe qui aut in nobis ac consimilibus naturis sibi conscius fiat,

---

sen seiner selber in uns." Nuncupat vero argumentum istud (haud facile dixeris quo jure) *theologicum*. — Item Strauss. in Dogmat. tom. I. p. 389.

*) „*Weil der Begriff von Gott ist, ist Gott: er als Begriff seiner ist sein Dasein.*" Quamquam Hegelius ipse saepius (v. c. *Geschichte der Philos.* III. p. 46.) monet, dei existentiam esse quidem ejus cogitationem in nobis excitatam, verum existentiam ejus *realem* universam esse naturam, cujus „momentum" quoddam sit natura, quae cogitet, singula.

**) p. 71. „*Die Liebe ist Gott selber und ausser ihr kein Gott.*" p. 2. „*Die Religion — ist das Bewusstsein des Menschen von seinem unendlichen Wesen.*"

aut maximam partem sibi non sit conscius: omnis igitur tollitur religio; nec enim ubi quis sui conscientiam habet explicatam, ideam impersonalem, quae ipsum ne percipiat quidem, religionis sensu potest prosequi. Semet ipsum veneretur necesse est is, in quo expressa est idea illa: i. e. ut *αὐτόθεος* religionis est expers. Jam non est hominis praejudicata opinione non imbuti, ullam sententiam ita horrere, ut causa indicta eam abjiciat. Atenim etsi totam hanc rem isto quidem loco non possum nisi tamquam in praetereundo attingere: tamen quod omnes res, in quascunque incidimus, ex *partibus* compositae esse reperiuntur innumerabilibus iisque facile separatis, quodque unitatis individuae s. personae conscientiā, quam nemine pantheistā efflagitante, unquam possumus aut denegare aut deponere, ad *metaphysicam* quoque i. e. substantiae, quae cogitat, unitatem (monada) agnoscendam nos deducit: tantum abest, ut sine praejudicata opinione ad pantheismum deveniamus, ut mundus non *metaphysica* quaedam unitas (*ἓν καὶ πολλά*) sit existimandus sed compositus ex multis partibus simplicibus s. atomis i. e. partibus individuis. Deducimur igitur ad monadologiam, quam admodum incomposite illi quidem antiquis jam temporibus Democritus, Leucippus, Epicurus, alii expresserant; recentiore autem tempore Leibnizius et Herbartus admirabili cum sagacitate persecuti sunt. Quodetsi neuter censendus est rem profligasse, principium tamen (id quod longe est gravissimum) exhibuerunt verum atque in eandem sententiam etiam FICHTIUM (juniorem) tandem discessisse magna cum voluptate percepi.

Quae quum ita sint, si quis ad HEGELIANORUM illam conscientiam provocabit dei commonstrandi gratia, nec philosophum *genuinum* agnoscam *) et atheistam habebo, quum

---

*) Urgeo lineolam illam voci „genuinam" subscriptam. Nec enim

deum aut personam postulem aut esse negem. Itaque haec conscientia de deo *pantheistica* mihi certe est explosa. At instant JACOBI ejusque asseclae, qui immediata nescio qua conscientia deum personam percipere se jactitent. (cf. etiam LICHTENBERG *vermischte Schriften* II. p. 127. *„der Glaube an Gott ist Instinkt. Er ist dem Menschen natürlich, so wie das Gehen auf zwei Füssen.* — NITZSCH *System der christl. Lehre* ed. IV. p. 13. nota **): *„Allerdings haben Jacobi, Schleiermacher, Fries u. Clodius mehr als andere und jeder auf besondere Weise dazu beigetragen, dass das unmittelbare Dasein der Religion im Selbstbewusstsein des Menschen und ein höherer oder tieferer Ursprung derselben, als ihn Empirie oder Reflexion bieten können, wieder zur allgemeinsten Anerkennung gekommen ist etc.*“) — His paucis satis habebo, quae regeram. Priusquam fidem Christi ut dei filii amplexus fuerim, omnia argumenta pro dei existentia allata esse falsa intellexeram, argumentum teleologicum, quo totam religionis philosophiam recentiorem tandem fundari video, in subrepticio niti judicio perspexeram atque etiam in Jacobianam illam ac Frisianam opinionem animum demerseram. Verum quamquam quae vitae meae fuit ratio, flagrantissimo studio signum quoddam petebam, quo esse deum mihi persuaderem ac saepenumero multis et perpetuis cogitationibus frustra volutatis, ardentissimis precibus, ut signum quoddam dei vere exstantis mihi proderet, ad coelum tacite me converti; tamen frustra excussi desperato hoc tempore conscientiam meam, an forte dei existentiam immediate perciperem. Non percepi, quamvis (non audeo negare) volun-

---

vel minimum laudi Hegelii viri summi derogaverim. Quo accuratiorem ejus notitiam contraxi, eo penitius mihi persuasi magnum eum fuisse philosophum. Nam non tam in vero aut investigato aut praetermisso, quam in philosophandi ratione cernitur philosophi dignitas.

tate vehementissime instimulante. Quid autem censebimus? Cur non percepi? Quod inde ab initio hanc mihi legem scripseram, ne animi desiderio abreptus mihi ipse imponerem neve inertia et desperatione rei investigandae occoecatus percipere mihi viderer, quod vere non percepissem. Omnino cavendum nobis est magnopere, ne errores, quos cum lacte nutricis suximus, nobis imponere patiamur aut desidia obruti, in conscientia nostra reperire videamur, quod aut abjiciendum aut severa ratiocinatione evincendum aut certe in medio est relinquendum *). Socrates (Apologia p. 21. e) ideo sibi sapientissimi nomen esse inditum credidit, quod nihil se scire sciret: quod idem studeamus omnes necesse est, ut tandem scire discamus. Quapropter quo sedulius in hac conscientia excutienda sum versatus, eo minus queo dubitare, quin quicunque hanc conscientiam *immediatam* sibi vindicent, se ipsi decipiant: videor autem mihi certe, homo esse talis, quales reliqui sunt putandi.

Neque ablegent me velim ad gentium consensum, ut inde conscientiam istam comprobent. Sane Epicurus jam (apud Cic. de nat. deor. l. I. §. 43.) „vidit esse deos, quod in omnium animis eorum notionem impressisset ipsa natura. Quae est enim gens, inquit Vellejus homo Epicureus, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorum?“ Quamquam haec magna consensio me pariter atque Hegelium (*Vorlesungen über die Beweise vom Dasein Gottes* p. 333.), commovet: Senecae tamen verba (ep. 117.) non fecerim mea: „Veritatis argumentum est aliquod omnibus videri, tamquam deos esse“ **). Cf. Krug Logic. p. 11. edit. IV. Cicero

---

*) Pertinet huc v. c. Schellingii „contemplatio, quam ait, intellectualis“ et multa philosophorum portenta, quae recentiore tempore in lucem sunt projecta.

**) cf. Plato de leg. X. — Aristot. de coelo 1, 3. (πάντες ἄνθρω-

quidem (quaest. Tusc. I, 13, 30.) „omni in re, inquit, consensio omnium gentium lex naturae putanda est". Verum facile potest ostendi, quomodo homines in multis erroribus ad unum omnes consentientes, in hanc fortasse errationem inciderint neque est, quamobrem auctore Fausto Socino praelect. theol. c. 2. (Bibl. Fr. Polon. I. p. 537.) aut OSTERODO (*Unterricht von den vornehmsten Hauptpunkten der christl. Religion* Cap. 1.) ad traditionem inde ab Adamo ductam provocemus (cf. etiam SCHELLING. *Vorlesungen über die Methode des akad. Studiums. Tüb.* 1803. p. 167. THOLUC. *Ueber das Wesen und den sittl. Einfluss des Heidenth. in Neander Denkwürdigk. aus der Geschichte des Christenth.* V. I. B. 1823. p. 235. seq.). Quid quod idem ille Cicero de nat. deor. I, 30, 83. vociferatur: „Nonne pudet speculatorem — naturae, ab animis *consuetudine* imbutis petere testimonium veritatis?" et ibid. l. III. 4, 11.: „Placet tantas res opinione stultorum judicari?" Huc praeter omnem necessitatem accedit, quod haudquaquam extra omnem dubitationem est positum, num omnes gentes hac opinione imbutae sint, cf. eundem istum Faustum Socinum (de auctor. scr. 5. c. 2. in Bibl. Fr. Pol. I. p. 273.): „inveniuntur gentes omni prorsus religione carentes, quales nostra aetate quibusdam in locis inventae sunt ac nominatim in regione Bresiliae:" cf. MEINERS. *Grundriss der Geschichte aller Religionen* 2. *Ausg.* 1787. §. 1. Idem ante paucos hos annos de Bresilia nescio hoc temporis articulo ubi legere me memini et complures qui recentissima aetate itinera susceperunt, ut Rossius et Parry, in gentes (Eskimaux) se incidisse narrant, quae omni religione careant. Idem narrat Azarra

---

ποι περὶ θεῶν ἔχουσιν πρόληψιν): Cic. de leg. I, 8. Lact. instit. div. I, 2. Clem. Alex. Strom. V, 14. (p. 729 seq.)

de gentibus ad La Platam habitantibus, alii de gentibus Neohollandiae primitivis. Quid quod Anglicus quidam homo qui aliquamdiu Romae vitam degebat, faecem quidem populi Romani esse superstitiosam sed qui legere et scribere didicerint, ad unum omnes fere esse atheistas contendit. Enimvero fortasse non multum a vero aberrat HEGELIUS (Encycl. ed. 3. §. 71. nota), qui ideo atheismi opprobrium recentiore tempore minus venditari ait, quia religionis et existimatio et argumentum ad quantum fieri possit minimum prope sit redactum. Ego vero hoc addiderim, quod multorum atheismus *latet* in pantheisticis opinionibus etiam inter populum satis dissipatis. Quid igitur, si LICHTENBERGII illud vaticinium (*Vermischte Schriften nach dessen Tode aus den hinterlassenen Schriften gesammelt.* 1. *B.* p. 166.), a quo exordium capit JACOBII libellus supra allatus (*Von den göttl. Dingen etc.*) tandem aliquando implebitur: „*Unsere Welt wird noch so fein werden, dass es eben so lächerlich sein wird, einen Gott zu glauben, als heutzutage Gespenster — dann und dies wird dann das Ende sein, werden wir selbst sein wie Gott?*“ Nonne per pantheismum divulgatum in similem jam condicionem abducti sumus? Etsi non sum is, qui persuasioni de dei *personae* existentia tandem usquequaque victrici timeam, tamen non possum comittere, ut ex istiusmodi rationibus admodum fluctuantibus conscientia quaedam nobis intrudatur, quam immediatam certe nos *non* habere, intimo pectore sum expertus.

Atque ita viam munivisse nobis videremur ad quaestionem ipsam suscipiendam, si non JACOBI, omnis pro dei existentia argumentationis adversarius indefessus (l. c. p. 137.) denuo nobis obvius fieret atque his verbis aditum nobis intercludere conaretur: „*Wenn das Dasein eines lebendigen Gottes bewiesen werden könnte, so müsste*

Gott sich selbst aus etwas, dessen wir uns als seines Grundes bewusst werden könnten, das also vor und über ihm wäre, darthun, ableiten, als aus seinem Princpe evolviren lassen.“ Atque inde magnificis sane verbis vir ingeniosus repetit tantum abesse, ut argumentatione pro dei existentia vel feliciter instituta utile quiddam perpetremus, ut deum ipsum nostri constituamus figmentum. Cadit hoc quodammodo in pantheisticam dei notionem, quamquam haec quoque multa in promptu haberet, quae regereret. Atenim fluctus excitavit in simpulo ac vix perceperis, quo tandem modo virum subtilitate judicii haudquaquam destitutum praeterire potuerit, deum, cujus existentia evincatur non tam sibimet ipsi persuaderi atque ita fieri demum, quasi antea non fuerit; sed in cognitionem tantum eorum pervenire, qui argumentatione convicti, ejus fidem amplectantur. Rem sanequam facilem acu tetigit jam Thomas Aquinas (Summa I, 89, 3.) „deus non est primum, quod a nobis cognoscitur, sed magis per creaturas in dei cognitionem prevenimus.“ —

Nec majoris momenti est, quod Daubius (theolog. p. 123. 138.) et de Wettius (l. c. §. 33. exeunte) unquam nos ad deum cogitandum fuisse perventuros negant, si non naturae quadam necessitate dei idea nobis insita esset. Ita Fichtius quoque „*Ueber den Grund unseres Glaubens an eine göttliche Weltregierung*“ in *philos. Journal von Fichte und Niethammer* VIII. p. 2. — Strauss. Dogm. I. p. 379. Originem trahit haec sententia ex psychologiae ejus penetralibus, a qua nos quidem sumus alienissimi. Quam rem ut fusius persequamur, hic non est locus. Verbo autem memoraverim, mihi prorsus convenire cum Aristotele, Loccio et Herbarto, qui animum humanum „tabulam rasam“ habent eique inscribendum de-

mum esse existimant *). Quae enim naturae est institutio id est philosophi cauti et circumspecti, ut quoad ejus fieri possit, idem ubique sectetur principium et verbo certe hîc monuisse juvabit, quam praeter omnem necessitatem in dei potissimum notione ad ideam naturae anticipatione nobis insitam confugiant, quamvis plurimis longe cogitatis sine retractatione *extrinsecus* repetitis. Nimirum quum perfectiones rerum, quas circumcirca conspicamur, valdequam sint variae et necessitate naturae ad *singulas* condiciones distinguendas deducant; nihil opinor (quamvis Cartesio ejusque asseclis vehementissime obstrepentibus) facilius est intellectu, quam quomodo ratio humana, praestantiae *diversitate* semel sensa, *conamen* naturae summae cogitandae (nam ultra conamen progredi nequit) subierit ejusque indolem in universum saltem delineaverit. Sicuti mali sunt gradus atque exinde diabolus ut ea natura, in qua summus mali sit gradus expressus, sensim pedetentimque emersit, ita in naturae bonae ejusque perfectae notione effingenda animi humani versati esse censendi sunt, quo mox consuetudo inde a pueris ducta et opinionum propagatio hereditaria accessit.

Attamen tantum abest, ut in de Wettii partes (l. c.) discedamus, qui omnem existentiae divinae demonstrationem in orbem circumagi ait, siquidem inde exordiatur, quo devenire tandem debeat; ut hujusmodi demonstratio rite instituta eandem claritatem et firmitatem habere contendamus, qua demonstrationes mathematicae splendere solent. Demiror equidem, quod dei existentiam si deduci

---

*) Arist. de anim. III. 4. *δυνάμει πώς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς, ἀλλ᾽ ἐντέλεχείᾳ οὐδέν, πρὶν ἂν μὴ νοῇ. Δεῖ δ᾽ οὕτως, ὥσπερ ἐν γραμματείῳ, ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον. ὅπερ συμβαίνει ἐπῖ τοῦ νοῦ.* — *Locke* cf. human understand. l. I. c. 2. 3. et 4. — *Herbart.* saepe cf. v. c. Psychol. amplior. I.

at certe demonstrari non posse inter omnes fere hodie convenit. Neque enim solus Kantius (crit. purae rat. p. 667. alibi), qui totius hujus erroris etsi non pater, at propagator est gravissimus, in sententiam istam abiit *), verum Drobischius etiam (l. c. p. 188.) atque omnino longe plurimi caute distinguunt inter persuasionem fide comprehensam et theoreticam, atque adeo *noxiam* futuram esse *demonstrativam* pro dei existentia argumentationem arbitrantur. De qua posteriore sententia quid statuendum videatur, mox viderimus. Quod autem ad locum priorem attinet, hoc ante omnia monuerim, me haudquaquam ab Herbarti sententia (Drobischio quoque probata l. c. p. 124.) plane dissentire, qui in metaph. I p. 107. his utitur verbis: „*Wer einigermassen einen Begriff von der Beschaffenheit dessen hat, was man menschliche Erkenntniss nennt, der weiss, dass eine grosse Wahrscheinlichkeit überall stärker und nützlicher ist, als das strenge Wissen selbst. Denn gegen jedes Wissen lassen sich Zweifel erheben, die jedoch mitten im Leben gar nicht beachtet werden.*“ Huic quidem sententiae nos non subscripserimus, et nisi omnia me fallunt, in aprico est, cur ab ea discordemus oporteat: certa nimirum persuasio praestat maximam longe partem non dico veritatis studio (probo enim notissimum illud Lessingii dictum) sed veri *similitudini*, in qua acquiescendum videmus. Atqui verissime ita pergit Herbartus: „*Die strengste Demonstration, sobald sie länger ist, als dass sie mit einem Blicke überschaut werden könnte, liefert uns nur Wahrscheinlichkeit, weil wir uns sehr leicht im Verdacht haben können, irgendwo in der Kette der Schlüsse einen Fehler zugelassen zu haben.*“ Amplector

*) cf. jam Clem. Alex. Strom. V. p. 588. *Θεὸς οὐκ ἐπιστήμῃ λαμβάνεται τῇ ἀποδεικτικῇ.* —

equidem toto pectore hanc HERBARTI sententiam et viri ceteroquin haudquaquam (qui meus semper in ejus scriptis lectitandis fuit sensus) modestissimi agnosco modestiam. Verumenimvero haec eadem ratio cadit etiam in mathematicas demonstrationes et logicas fere omnes nec in usum vocari debebat a DROBISCHIO (l. c.) ad verisimilitudinem argumenti teleologici excusandam, quae longe est diversa et plane eadem habenda, atque quae *vulgo* hoc nomine nuncupari solet. Haec igitur infirmitas, argumentorum pro dei existentia minime est propria. „Atenim argumentationes mathematicae longe clariores sunt et certiores.“ Audio equidem; sed quaero unde ita sit. Videlicet argumenta mathematica ideo clariore luce videntur perfusa esse, quod in principiis admodum perspicuis etiamsi nulla argumentatione commonstratis, sed immediata quadam perceptione positis, ita nituntur, ut singulorum argumentorum junctura saepissime sit instituta ad formas universaliores et simpliciores atque perspicuitas ea inde oboriatur, quae extra omnem dubitationem posita sit necesse esse videatur. Quid est igitur discriminis ab argumentis pro dei existentia offerendis? Nonne haec et ipsa principiis superstrui debent, quae aut conscientia *sedulo excussa* commendentur aut omnino ita sint stabilita, ut dubitationi non amplius aut sint aut debeant esse subjectae? Nonne partes, quae ad hujusmodi mentis aedificium exstruendum coagmentantur, *interna* componuntur necessitate? In errorem incidere possumus pariter atque in rebus mathematicis tractandis, praesertim quum quaestiones his in rebus solvendae longe sint difficiliores et impeditiores nec tam saepe recoctae, quam quaestiones mathematicae — verum firmitas persuasionis utriusque, quamdiu nobis conscii sumus, summa cum cautione in re disponenda et dilucidanda versatos nos fuisse, quin sit eadem atque in quaestionibus reliquis omni-

bus luculenter collustratis, ita dubitationi non debet esse obnoxium, uti fundamentorum et juncturae rationes, re accuratius pensitata, reperiuntur *eaedem*. Quod autem longe majore vulgo cum confidentia dicta mathematica amplectuntur, quam reliqua, id lucem suam accipit et e majore rerum exponendarum simplicitate et e totius doctrinae absolutione ab antiquissimis inde temporibus ducta. Neque quisquam nobis regerat, quod de rebus mathematicis omnibus possit persuaderi, de ceteris quaestionibus ac maxime de argumentis pro dei existentia allatis non item. Videlicet res ita non habet. Ne mathematici quidem iis queunt persuadere, qui doctrinae eorum sint imperiti atque per doctrinae ipsius existimationem, antiquitatem, universalitatem hoc habent commodi, ut eorum dicta, etsi non intelligantur, in dubitationem tamen fere non vocentur. In quaestione autem ea, de qua nunc agitur, quamque in quaestionum omnium difficillimarum esse numero habendam ii nullo negotio agnoscent, qui vel levem in iis dirimendis operam posuerunt *), et multi mentis aeque atque animi carent facultate, qua opus est ad ejusmodi quaestionem percipiendam, judicandam vel profligandam nec ea imbuti sunt modestia, ut praepostera judicia cohibeant aut opinionum vel etiam dubitationum somnia, in publicam lucem edere dubitent.

„Atqui aguntur res, quae sub conspectum non cadant nec licet omnino, ut ait Kantius sexcenties, ab istis rebus concludendo escendere ad res non adspectabiles s. transcendentales.“ — Scilicet nihil plane, si verum quaerimus, immediate, ut ita dicam, percipimus, sed per animi nostri

---

*) cf. *Drob.* l. c. p. 251. „*Die Probleme (der Religionsphilosophie) sind die wichtigsten wie die schwierigsten, welche die ganze Philosophie aufzuweisen hat.*“ Quamquam totus locus dignus est, qui legatur.

conscientiam aut immediatam aut mediatam, atque quoties telam, quam exorsi fuimus, rite pertexuerimus, et cogitata naturae legibus attemperate circumspecteque coagmentaverimus, laboris exantlati praemio nos non defraudatum iri sperare licet. Si deus est isque nobis est: imaginem sui ipsius repercussam in mundo adumbravit, et in iis naturae legibus expressit, quas necessitate ducti interna, quum omnium cogitatorum junctura amplectimur tum eodem jure in ipsius notione aut constituenda et agnoscenda aut abneganda retinemus. Priusquam pedibus uti vetemur, est cur ostendatur, quid sit, quamobrem incedere non liceat nec hodie facile quisquam sibi persuadebit, per Kantii antinomias id commonstratum esse. Verum totus iste viri magni error praecipue e manca ejus et prava doctrina psychologica est oriundus et cum hac ipsa vel explosus vel tandem aliquando explodendus.

Bono igitur animo ad quaestionem nobis susceptam aggrediamur. Non tantum ad fidei deductionem verum etiam, siquidem veris initemur principiis, et in singulis sensorum contexturis recte versabimur, ad existentiae dei demonstrationem adspirare licebit. Quae spes ubi nos fefellerit et argumentis idoneis ad nihilum erit redacta, nemo quisquam nobis promptior erit ad errorem confitendum. Nemo enim, qui sapiat, publici juris facit, quae invenisse sibi videtur, nisi ut aut doceat aut *doceatur*. Nec tamen perturbari nos patiemur honorifico illo testimonio, quod Kantius (crit. rat. pract. p. 264. et 265. edit. 4.) et Drob. (l. c. p. 187.) de ipsorum confidentia mundi rite adornati prodiderunt. Repulsant enim uterque opprobrium, quod deo ex manca ejus nostra cognitione possit enasci, ita, ut per firmitatem hujus persuasionis demonstrativam, vitam legibus divinis accommodatam s. moralem magis incidi contendant quam adjuvari. Etenim futurum esse, per-

suasione illa istum in modum stabilita, ut officia nostra timore potius quam boni amore sincero adducti exsequamur. Nolimus, inquam, perturbari, ne novo argumento expromendo, dei ipsius voluntati occurrere videamur. Non est salus hominum periclitanda. Enimvero experiamur, num deum, qui amor est omnibus numeris absolutus, vere exstare ostendere queamus et hoc nobis certo sit persuasum, eo ipso propius nos ad eam religionem adductum iri, quae per amorem timorem expellat omnem (1 Joh. 4, 18.). Et male deus consuluisse censendus est permultis iis hominibus vulgo minus eruditis, qui quum nesciant philosophos demonstrativam pro dei existentia argumentationem non concedere, eum ipsum, quem impugnant illi, errorem et amplectantur et amplexuri sint. — Gratias agamus quas possumus maximas, quod ne inter istos quidem timor necessario dominari reperitur. —

Caput I.

Novum exponitur pro dei existentia argumentum.

Praeparatio.

Quum supra non dubitaverimus promittere fore, ut via demonstrativa, quae dicitur, esse deum conficiamus: ne disputatio nostra extra justae disputationis cancellos vagari videatur, viam designaturi sumus, quam ingredi in mente habemus.

Omnis argumentatio proficiscatur necesse est, ab enuntiato quodam aut immediata aut mediata conscientia concesso omnibusque probato, cui probatio ipsa superstruatur atque ita quidem, ut cogitatorum compositione quadam aut negata aut concessa, repugnantia cum enuntiato jam effecto oboriatur. Quapropter ubi hujusmodi repugnantia reperitur, provocatur animus ad aliquam rem investigandam, qua repugnantia tollatur: quae quidem res ubi *sola* discrepantiae removendae est apta, eadem necessitate est agnoscenda atque enuntiatum ipsum, a quo profecti eramus quodque cum vero quin concordaret, dubitationi non fuit obnoxium. Progredietur igitur nostra quoque disputatio sic, ut primum enuntiatum certum quoddam exhibeamus, quod omnes non possint non concedere: deinde enucleare studeamus, id ipsum tolli dei existentia *non* concessa et exinde concludamus necessariam esse dei existentiae agnitionem. Erit ergo ratiocinatio nostra apagogica ideoque modo omnino recte se habeat, demonstrativa. — Sed convertimus nos ad rem ipsam.

Fundamentum argumentationis.

Inter omnes facile conveniet eam esse hominum inter se colligationem naturalem, ut alter ex altero rationibus admodum variis iisque valdequam gravibus sit suspensus. Inde a primordiis vix ullum aliud animal adeo opus habet aliorum auxilio, ut homines, quorum necessitudo ac dependentia, ut ita dicam, mutua eo magis adaugetur, quo magis virium, quibus praeditus est, sibi conscius redditur et ad animi perfectionem evehitur. Nimirum quamquam initio, homines rudes et interioris cultus expertes, necessitatibus, ad quas explendas a natura pellimur, satisfacere videmur posse *soli*, tamen ne tum quidem omnibus aliorum subsidiis carere possumus: longe plura aliis accepta referimus, quam saepenumero ut confiteamur a nobis impetramus ac si qui vitam prorsus solitariam vel cum paucis tantum initam degere in mentem induxerunt, id quum solius religionis sive dei causa *aliquo* modo admittimus tum facile intelligimus, totam istam vivendi rationem a conciliis dei vere perspectis plane esse alienam et quam habeat vim salutiferam, hanc re accuratius excussa, haurire tandem maximam certe partem ex illa vitae parte, qua istiusmodi homines in mediis reliquis hominibus vixerunt et viguerunt nec ullum habere pretium, nisi quatenus quamvis solitaria, cum vita communi cohaereat. Quid autem dicendum putabimus de vita ad majorem perfectionem evecta? Videlicet ineuntur societates sive civitates, quibus homines innumerabilibus necessitudinibus inter se colligantur, ad se invicem referuntur, ex singulis fiunt unum quiddam. Princeps constituitur; cujus quae omnium est conscientia, non amplius arbitrii est, quomodo subditos regat ac gubernet, sed cui hoc sanctissimum videtur officium impositum esse, ut etiam iis, qui ipsius imperio subditi sed admodum ab ipso

remoti vivant nec unquam eum conspexerint, nedum boni quidquam ei intulerint propter ipsum, bene cupiat et omni, qua fieri possit, ratione salutem et externam et internam fundet, tueatur, amplificet. Idem ducitur eorum esse, qui principem ut adjuvent in civitate administranda delecti sunt, atque quum omnis civitas ex multis civitatibus composita sit minoribus, per omnes omnino ordines idem permeat officium, quippe quorum omnium, quamvis sese proxime ne attingant quidem, tamen hoc omnium consensu esse existimetur, ut sui inter se rationem ducant et prae aliorum salute ipsorum saepe utilitatem vilipendant (Matth. 22, 38.). Quae si praetermittantur, nec (civitates i. e.) majores ordines nec minores locum habere posse una est et consentiens vox. In magnum autem errorem inciderit is, qui hoc in solas consociationes rite initas convenire crediderit. Uti ne minima quidem universi exstat pars, quae non ad totum ut totum referatur et in mundi ordine servando vices quasdam sustineat eo, quod suam ipsius habet naturam eāque afficit pariter atque afficitur: ita naturae conscientiae facultate instructae ne minimum quidem nec cogitant nec factitant, quin efficaciam exserant in naturas ejusdem generis et propiores et remotiores aut mutuam aliquam actionem exsuscitent. Quod quale sit etsi saepenumero non potest singillatim ostendi, quum rerum perquirendarum et investigendarum facultas eo usque non pertingat; tamen quin ita sit, nemo opinor in dubitationem vocaverit, nisi qui mirabilem animorum inter se juncturam penitius non sit perscrutatus. In propatulo autem est, tantum abesse, ut rationes istae praeter *naturae* (necdum enim exstat nobis deus) necessitatem sive legem ineantur: partim etiam nolimus velimus sese insinuant, partim ubi possunt negligi ac negliguntur, maximam de nobis sumunt vindictam. Nam quum aperte ad felicitatem

nati simus; maxima haec solet esse eorum, qui legi isti maxime satisfaciant et omnis omnino societas, sine qua homo ne est quidem homo, corruat necesse est, ubi hujus legis ut naturalis agnitio detrectatur. Non est hujus loci, ut singula uberius persequamur; est haec naturae lex, ut alter alterum praestet, ac multa in hominum vel ignotorum gratiam exantlet. Quid autem dicam de malis, quae aliorum vice naturae necessitate sunt suscipienda? Nonne ampla illa de peccato hereditario doctrina huc spectat, quae etiamsi non horribili ratione ea, qua Augustinus rem exposuit, potest ferri; tamen in frequenti ac gravi malorum et physicorum et moralium propagatione saepenumero inevitabili cernitur? Idem facile est ad animadvertendum in media ipsa vita atque hac quoque ex parte homines adeo inter se apti sunt et connexi, ut quo quis promptior est ad onera pro aliis suscipienda, eo laetius vigeat communio eoque beatior ipse sit futurus et inepti prorsus esset hominis, si quis huic naturali necessitati sese plane vel magnam partem subtrahere in mentem introduceret. Neque omnino sperare licet fore, ut quis naturarum vivarum inter se rationem et naturae ordinem clara luce perfundat, nisi hanc mutui amoris necessitudinem agnoscat naturae legem.

Repugnantia.

Ea est naturae indoles atque ordo, ut si ejus lex quaedam firme constituta alii legi repugnet, i. e. altera alteram tollat; certo nobis persuasum esse debeat, errorem aliquem subesse et aut alterutram legem esse tollendam aut ubi hoc fieri nequit, eadem qua legem ipsam necessitate agnoscendum esse id, quod repugnantiam illam removeat.

Videamus igitur, qualis sit illa lex, quam natura postulante modo constituimus. Postulat ordo naturae

(quippe quae alioquin hunc ipsum evertat) amorem illum mutuum etiam inter eos, qui interiorem sui notitiam non contraxerunt, immo saepenumero de se ne fando quidem antea audiverunt. Verumenimvero in eo ipso, quod *postulat* lex quaedam amorem, repugnantia videtur latere. Nam quaecunque a nobis fiunt, certam aliquam debent causam sive principium habere, unde proficiscantur ac si quis sensus, quo motitamur, non potest fontem tandem aperire, unde sit merito haustus, sive si nulla animi commoti *causa* potest vera ostendi: is ipse animi motus improbetur oportet. Natura absoluta quidem (deus), qua superius cogitari non potest cuique *ut* naturae absolutae ne lex quidem ut superius quiddam recte proponitur, quod inde esset nexa nec igitur natura absoluta: cur hoc vel illud velit nullam habet causam nisi ipsius voluntatem. Vult ita sicuti vult, quia vult i. e. quoniam natura ejus ita potissimum fert. Longe aliter animi finiti s. imperfecti, qui non necessitate interna sunt quod sunt, sed fiunt demum: quod ut sint naturae lege commonefiunt ideoque usquequaque cur et quomodo hoc vel illud et velint et agant, ad claram sibi perspicientiam perducere debent. Jam convenit quidem inter nos postulare naturae ordinem, ut inter nos amemus. Sed quaerendus fons hujus amoris, ut legi necessariae satisfacere *queamus*. Est autem fons iste, qualis nostra quidem est condicio, fere triplex aut lex ipsa aut ii, quibus bene cupere ac facere debemus, aut nosmet ipsi. Agedum videamus, num amor ille vere hinc hauriri queat.

1) Primae responsionis cardo vertitur in eo, quod legem satis esse contendunt ad amorem illum exsuscitandum, conservandum, nutriendum. Nam memoratu vix digni sunt ii, qui sine ullo amore rationi illi mutuae, qua natura homines constrinxit, satisfieri posse dictitent. Ita

tota haec agendi consuetudo recurret tandem ad mendacium, quippe quae simulet amorem, cujus prorsus est expers. Ac si verum quaerimus, revolvimur ad egoismum (nolo enim dicere „ad amorem nostri ipsorum nimium“ brevitatis gratia) tanquam summum principium; scilicet ideo quamvis amore destituti, amoris speciem prae se ferunt, quia naturae ordine isto illibato, sibi quoque bene futurum sperant. Sectantur igitur etiam isti causam s. principium agendi, de quo infra disserendi opportunitas erit oblata. — Redit vero oratio, unde paullulum digressa fuit. Iis enim responsuri eramus, qui legem naturae ipsam ut *legem* sufficere ad amorem illum excitandum et corroborandum existiment. Fuit haec jam Stoicorum sententia, similiter Aristoteles (ethic. I. c. 9.) ac nostra memoria haec sententia magna cum gravitate est venditata et a Kantio ejusque asseclis usque ad taedium prope repetita *). Commonemur hoc loco denuo vehementer, quantopere cavendum nobis sit, ne praesidiis neglectis, quae providentia ipsa nobis suppeditavit, in errores jam dudum explosos recidamus, neve in eo ipso magnificum nescio quid reperisse nobis videamur. Postquam in re haudquaquam tam difficili ad dijudicandum, tota antiquitas philosopha mirum in modum fluctuata fuit; KANTIUS (crit. pract. rat. p. 158. *Grundlegung der Sitten* p. 13. 63.) hanc sententiam sexcenties repetitam promulgavit verae ac sincerae virtutis principium cerni in solo imperativo qui dicitur, categorico. E sola lege, ubi semel lex est agnita, omnem nostram virtutis implendae vim proficisci debere: qui aliud hujus facultatis et actionis quaerat principium, eum a germana virtute defecisse judicandum. Quid igitur mirum, quod „amoris“ prin-

---

*) Multa egregie de Kantio disputavit Hartensten. Ethica inde a p. 68. cf. Clodium *Religionslehre* p. 142. seq.

cipium ac paene vox prorsus fere exulavit ex ethica doctrina KANTIANA? At utinam meminissent philosophi isti Novi Testamenti, ex quo uti longe plurima, quae cum vera concordant ethica, didicerunt iique saepenumero inscii, ita plura etiam discere potuissent, si animum eo appulissent. Habitat prope Paulus in ea sententia, ut a lege ut lege vim ipsius implendae posse repeti praefracte neget. Adeo lex per se spectata officiorum exsequendorum facultatem non praebet, ut data sit ad peccata augenda (Rom. 5, 20. Gal. 3, 19.), mali desiderium in nobis eliciat (Rom. 7, 8.) atque omni vi sit destituta, qua ad dei voluntatem implendam nos corrobret (Rom. 8, 3. Gal. 3, 22.). Quod quis tandem erit, qui infitias ire audeat? An revera quisquam a se impetrabit, ut re interius examinata, legem s. ideam aliquam i. e. rem, quae sensu careat nec quid ipsi in eam sentiamus, percipiat, „amore" quem amplecti existimet? Non credo equidem. Bene scilicet distinguendum nobis est inter amorem et voluptatem, qua quid sentimus ac cupimus quamque posteriore tempore complacentiae vulgo nomine designant. Neque enim eum dicimus amorem, qui Cartesio (epist. XXXV init.) „nihil aliud videtur esse, quam quod ubi anima nostra bonum aliquod sive praesens sive absens percipit, quod sibi conveniens esse judicat, se cum illa voluntate conjungit, hoc est, se ipsam cum hoc bono considerat veluti totum aliquod, cujus illa est pars una, ipsa vero pars altera." Hic non est amor, sed notio prorsus aliena, quippe voluptatis sensus, qui per omnes omnino res etiam inanimatas, excitari in nobis solet. Amorem dicimus potius eum, qui toto Novo Testamento solet dici v. c. 1 Joh. 3, 16. ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστὶ etc. quique *omni sui* ratione deposita, alteri bene cupiendi sensu continetur nec ideo, quia ipsi est gratum, beneficia in alterum conferre studet, verum alterius solius causa. Ea-

dem plane notio subest, quae ideae practicae Herbarti tertiae (*der Idee des Wohlwollens* *)): est autem illa tota posita in *altero* benevole amplectendo. Hic vero amor (si discesseris, ut hoc denuo moneam, a natura absoluta sive a deo, qui talis, qualis est, ab aeterno atque ideo est, quia est i. e. praeter omnem causam superiorem, quam quae in ipsius natura est sita) non potest dici nisi in naturas amore nostro dignas, quamvis lege naturali enixissime flagitante. Ergo *lex naturae* per se non satis est ad amorem illum suscitandum.

2) Nimirum quum (id quod supra jam memoravimus) nullus sensus animum (rationi usquequaque subjectum) occupare debeat, quin justa nitatur causa ac sui rationem queat reddere: si cui naturae bene cupimus ac facimus, digna esse debebit, quae amore perfruatur. Ita autem amoris illius causa in *iis* erit quaerenda, quos ut amemus natura postulat. Quae igitur erit ista dignitas? Non poterit opinor esse nisi amor ipse, quem alter *prior* in *nos* contulit: nam amor tantum amorem excitat sive voluntatem, ut alteri *suamet* ipsius causa bene sit. Atenimvero si eos solos beneficiis essemus affecturi, qui priores nobis amoris testimonia ediderunt: societatis humanae necessitudines ita dissolverentur atque adeo divellerentur, ut naturae legi nos officere in oculos esset incursurum et sexcenties in oculos incurrit apud eos, qui amoris illius sunt immemores. Quis enim est, quin pervideat et experientia edoctus sentiat, saepenumero aut munere, quod suscepimus, postulante aut communionis omnino vinculis

---

*) Sive ut Hartensten. Ethic. p. 184. vult, „secundae ideae practicae“, omissa idea „perfectionis“, quam seorsim tractavit Herbartus. Optime vero ita Hartenstenius; utinam alias etiam ideas (justitiae, aequitatis et benevolentiae) comprehendisset in unum: et notionum verae relationi et doctrinae christianae accommodatius etiam fuisset disputaturus. —

I.) alios *) etiam Benthamius (Deontologia edid. Bowring p. I. 1834.). Quid quod adeo Ammonius, quamvis vehementer huic sententiae aliis locis refragetur, in similem errorem incidit (ethic. I. p. 262 seq.). Distinguit enim inter rationem, quae definiat sive constituat voluntatem et quae moveat, quippe utilitate in sensum vocata, quam ex actione aliqua sperare liceat („*Bestimmungs- und Bewegungsgrund*"). Utramque rationem semper esse copulatam ait Ammonius. Verum quamquam vulgo revera ita esse, quae voluntatis nostrae est imbecillitas, nemo opinor abnegaverit; illud tamen etiam ipsum in aprico est, utilitatis propriae *ut propriae* ubi ratio ducitur, purae virtutis nec volam nec vestiguim exstare.

Nec Novum Testamentum quasi ab ea sententia staret in usum potest vocari. Fuerunt quidem omni fere tempore, qui doctrinae morali in Novo Testamento expressae opprobio verterent, niti eam in principiis, ut breviter loquar, egoisticis. Quod ut conficiant, provocant ad nubem sane locorum, in quibus praemiorum fit mentio, quae bonis aliquando attributum iri sperare liceat v. c. Matth. 6, 4. 5. Luc. 14, 13. 14. Matth. 10, 41. 42. Luc. 6, 20—23. 6, 35. 38. Matth. 5, 3—12. **) et Ammonius (l.

---

*) cf. Friderici M. oeuvres edit. de Berlin tom. II. p. 289: „*Die Selbstliebe ist der Mittelpunkt aller Tugenden: unser Ich bleibt immer das Centrum unsers Empfindens, Denkens und Wollens.*

**) Urget totam hanc rem recentissimo tempore maxime Ebeling (*Kritik christl. Glaubenssätze* 1843), qui religionem christianam, uti eam non est assecutus, impudentibus opprobriis contaminat. Mentionem injicio tantum ejus, quod ad nostram quaestionem refert p. 96: „*Die Moral Christi ist nur in so fern von der jüdischen distinguirt, als er Vieles bis zur Unausführbarkeit in die Höhe schraubte. Ein Beweis, dass Moses viel praktischer als Christus gewesen.*" Egoismo tota doctrina Christi moralis videtur superstructa esse atque ut garrulitati coronam imponat, p. 97. his tandem in verbis acquiescit: „*Die Moral Christi war ein Produkt der extremsten Schwärmerei und praktischer Mysticismus* —,

c. p. 264.) in medium profert Matth. 5, 45. his verbis: „*die Worte Jesu: „Liebet Eure Feinde, auf dass Ihr Kinder Gottes in seinem Reiche werdet*“, *werden den Unterschied des Bestimmungs- und Beweggrundes sofort deutlich machen*“. Sed horum nihil paene apud Matthaeum. Ibi v. 44. *ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν* etc. v. 45. *ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθούς*. Non praemii spem, ut vult vir summe venerandus, sed dei exemplum ostendit. Verum nec reliqui loci supra allati ullam habent vim. Ea enim est hominum imbecillitas isque status morbosus, ut longe paucissimi sincera ac germana virtute penitus moveantur et plurimi praemium quoque ut e longinquo saltem et tamquam per transennam ostendatur opus habeant. Quod Christus praesertim vix aggressus mundum vi sua divina, quum probe teneret, ne poterat quidem praetermittere, nisi forte petulantibus illis derisoribus opportunitatem sine dubio gratam erat allaturus judicandi, quasi doctrina Christi ad vitam rite temperandam nihil esset accommodata. Atenim haec ostentatio rei, quae illibata virtutis integritate arcessi non poterat; nec unquam primarium in voluntate excitanda occupat locum, nec quidquam aliud est quam accommodatio in religione populari, illo praesertim tempore, prorsus necessaria. Aliis autem in locis non tantum id postulat, ut primum quaeramus *τὴν δικαιοσύνην* (Matth. 6, 33.), verum etiam palmarem nobis legem proponit amorem dei, ex quo omnia ut ex limpidissimo et ultimo fonte hauriantur oporteat (Matth. 22, 37.). — Atque iis, qui vel paullulum in doctrinae

---

ihre Forderungen konnten sich nur aus dem Brütofen des schwärmerischten Kopfes erzeugen. — Utinam multa istiusmodi scribant Hegeliani juniores: mox suo ipsorum gladio se jugulaverint.

moralis historia sunt commorati, perquam mirum debet cadere, quot tot tantique philosophi omnem saepe lapidem motitasse reperiuntur ad discidium inter felicitatem et virtutem sinceram componendum, quum rei natura paullo diligentius examinata, judicium haud tam difficile esse videatur. Etenim is demum status naturae convenire est censendus, qui plenissimam naturarum viventium felicitatem adducat. Naturae enim quadam necessitate pellimur ad felicitatem nobis parandam quantum fieri possit maximam. Quid igitur? Num pugnabit felicitatis istud studium cum virtutis germanae, quae omnem egoismum fastidit penitus, observatione et veneratione? Non est ita. E contrario tantum abest, ut genuina felicitas discordet a sincera virtute, ut hac per sui amorem nimium infracta, felicitas quoque evanescat. Nimirum quamquam naturae lege vocamur ad felicitatem nobis parandam, tamen ejusdem naturae fert ordo plane admirabilis, ut siquis virtutem suspicit et amplexatur *utilitatis* ratione ductus, quam inde se percepturum speret, conscientiae stimulo, quod *sua* causa legi naturae satisfecit nec quidquam inde meriti sibi collegit, continuo repulsetur ab illo ipso felicitatis sensu, quo ad virtutem fuit admotus. Scilicet non potest sibimet ipsi infitias ire, se tota hac agendi ratione mendacium committere spurcissimum, quum aliorum prae se ferat amorem, nullo alio actus nisi suo ipsius: et tamen *opus* habet ista specie. Quid denique dicam de eo, quod istiusmodi homuncio, ubi vel paullulum divulgatum erit, quibus de causis aliorum amorem amplecti videatur et tueri, omnis aliorum amoris aeque fit expers atque existimationis bonae itaque in contrarium ab eo statum devenit, quem obtinere voluit cujusque gratia specie ista mendaci sese circummunivit? Quid igitur? An isti principio amorem illum mutuum superstruemus, quem eadem natura eadem necessitate

postulat, qua felicitatis nostrae genuinae procurationem? At ex isto sui amore, qui alios non tam amandi quam beandi jactat principium, nulla proficiscitur felicitas, quum naturae lex ferat, ut condicionem vere beatam et intus et extrinsecus perturbet. Ergo rursus incidimus, hoc principio admisso, in repugnantiam naturae valde insignem; quippe quae non modo mendacii commendationem in se suscipere cogatur, verum eo ipso felicitatis studio (aliorum amandorum *propter ipsius* amorem) *deleat* felicitatem, quo eam fundatura dicebatur. Haec repugnantia ducit ad absurditatem: *sui* igitur amor non potest amoris illius mutui esse principium.

Ergo quum neque lex per se spectata nec aliorum relatio nec nostri ipsorum amor satisfaciant, nihil restat, nisi ut amorem istum, quo socios, naturae norma provocati, amare *videmur* amoris interni expertes, *mendacium* sanciamus justum atque *ita* naturae satisfaciamus. Sed *vetat* natura eadem mendacium: ergo etiam *istam* simulationem: pugnat igitur secum ipsa. Sed ejusmodi repugnantia non est ferenda, nisi summa urgente necessitate: ergo circumspectandum apud animum nostrum, num forte amorem illum necessarium alibi fundemus atque in principiis hucusque collustratis.

Additamentum.

Fortasse dixerit quispiam hanc ipsam argumentationem postremam niti tandem in egoismo. Nam ideo, quia *felicitas* ex *sui* amore obtineri nequeat, principium illud reprobari. Quibus ita respondebimus, ut simul totam ratiocinationem uni mentis obtutui subjiciamus.

Tota argumentatio ingreditur sic: Naturae lex postulat amorem mutuum etiam eorum, qui nullam sui notitiam contraxerunt aut etiam habere videntur, cur odio se per-

sequantur. Alioquin, nec felicitas (neque interna neque externa) potest constitui et communionis vincula dirumpantur necesse est. Id quod ipsius naturae legibus officit. Flagitat igitur amorem illum et idcirco ejusdem amoris principium aliquod. Lex autem mortua ut lex per se spectata non habet ullam vim hujus amoris exsuscitandi: ergo natura eo, quod amorem nobis *praecepit*, nec nobis nec sibi suffecisse putanda est et provocat ad alia principia investiganda. At nullum satis est. Ab *aliis* persaepe non potest duci: nam personae amor (probe distinguendus ille quidem a voluptate inde oriunda) non enascitur nisi ex amore in nos *collato:* sexcenties autem amor ille iis est impertiendus, qui amoris aut nullum signum prodiderint aut sensum contrarium ostenderint. Quid igitur? Fortasse ex animi nostri ipsorum penetralibus scaturit? At non est ita. Amor iste universalis etiam hostium innatus nobis esse dici non potest: pedententim enim ad eum escendere reperimur, causis justis impellentibus. *Propter* voluptatem autem, quam ex amore isto genuino capimus, amorem non possumus in vitam producere; nam etsi *nolimus velimus* naturae est lex, ut felicitatis maxime sincerae condicio nobis optime conveniat, tamen haec ipsa iis eripitur, qui felicitatis istius sibi parandae *causa* virtutem eoque etiam amorem istum sectari in mentem induxerint. Perturbatur enim conscientia, limpidissimus et purissimus felicitatis fons, siquidem hujusmodi actiones per mendacium quoddam turpe, videntur quidem ab *aliorum* amore proficisci, reapse autem a proprio amore originem trahunt. Infringitur tandem per principium istud, ubi semel in clara luce est collocatum, (nec naturae lege solet diu tenebris obvolvi) ille ipse amor mutuus, quem flagitat natura cujusque fundamentum quaerimus. Ergo quum amoris mutui fons, qui emanat ex *sui* amore, occludat natura *vetante*

felicitatis-fontem et amorem ipsum, quem debebat fundare, evertat: ne is quidem nobis adeundus erit. —

Conclusio.

Quo igitur modo tenebras istas dispellemus? Densa enim caligine circumvoluti sumus, quum ubique, quocunque nos ad amorem illum fundandum convertimus, in repugnantias inciderimus. Neque in lege ipsa nec in nobis nec in aliis amoris istius causa est sita: ergo ne naturae ordo ejus ipsius lege dissolvatur; *cogimur ad agnoscendam naturam, quae sola repugnantiam istam tollere queat: en tibi deus;* nec deus, qui ordo sit Fichtianus aut principium indifferens Schellingii aut idea Hegelii in mente nostra tantum expressa (quis enim exinde *amor?)*, sed *natura conscientia praedita, quae priorem illum, quem ad amorem nostrum excitandum quaesivimus, amorem in nos contulit* testibus et libris sacris (1 Joh. 4, 19.) et animi recessibus, qui beneficiis se obrui quotidianis et innumerabilibus non unquam infitias eunt, id tantum in dubitationem adduxerunt, num haec beneficia a natura *sibi conscia sive a persona*, repetenda videantur. Sunt autem *inde* nec aliunde repetenda, quandoquidem legi naturae, cui satisfaciamus *necesse* est, ita demum *possumus* satisfacere, ut legem naturalem *divinam* reddamus legem i. e. *voluntatem* naturae nos amantis et **red**amandae. *Isto deo* amorem illum jubente, et jus et vim nanciscimur vere amandi. Nimirum *amemus* necesse est: non *possumus* amare nisi *dei* nomine et amore: ergo *est* deus. —

Ita reduces sumus facti in gremio ipsius religionis Christianae, quae habitat quum in amore tum in *dei* amore. Ad quam rem stabiliendam quum nubem locorum liceret colligere, locum affero nullum. Satisfacimus sensui naturali, qui usquequaque palmam defert ad amorem: profi-

ciscimur (quo vix quidquam potest gravius esse) a lege morali, qua nihil est certius: deum conficimus et personam (simul hac quoque ex parte exploso *pantheismo*) et legis moralis latorem, tutorem, commendatorem, mundique ordinatorem (facili intertexta ratiocinatione etiam ad deum *creatorem* deveniemus, etsi nunc non agitur nisi de dei existentia), quippe quum natura *absoluta* prior amare nos et potuerit et debuerit et tandem hoc quoque in aprico est, deum hac argumentatione *totius* vitae moralis constitui *principium*. Quaecunque enim agimus, *deo* impulsore suscipimus, et quoscunque amore prosequimur, dei nomine et amore amamus, usque dum per proprium in nos amorem digni sint, quos *ipsorum* causa, amore divino continuo simul instimulante, amemus

Verum haec hactenus. Occultavit nisi me fallit, deus in ipso naturae ordine repugnantiam, quae ipsum vere ostendat: quam recte patefecisse utinam mihi contigerit. Sin minus, promptus ero ad sententiam abjiciendam, ubi argumentis idoneis melius edoctus fuero *).

---

*) Momentum argumentationis ut luculentius illustretur, haec mihi data sit venia, ut ratiocinationem forma proponere liceat mere logica:

Propositio major (prosyllogismi): omnis repugnantia est tollenda.
» minor : amor ille mutuus involvit repugnantiam

Concl. prosyll. et propos. major episyll.: Repugn. in isto amore sita est tollenda.
Propositio episyllogismi minor: » non potest tolli *nisi* per deum personam amore in nos conspicuam

Conclusio episyllog. deus persona vere exstet necesse est.

Caput II.

Argumentum ontologicum exponitur et judicatur.

Omnium argumentorum, quae ad dei existentiam efficiendam adhuc prolata fuerunt, longe simplicissimum eoque commendatissimum ducendum est argumentum ontologicum, quod Anselmo Cantuariensi acceptum solet referri. „Coepi (inquit Anselmus in Proslogii prooemio) mecum quaerere, si forte posset inveniri unum argumentum, quod nullo alio ad se probandum, quam se solo indigeret et solum ad adstruendum, quia deus vere est, et quia est summum bonum nullo alio indigens et quo omnia indigent, ut sint et bene sint, et quaecunque credimus de divina substantia sufficeret.“ Etenim omnino in Proslogio pariter atque in responsione Anselmi ad Gaunilonis monachi oppositiones („pro insipiente“), quae inscribitur: „Anselmi liber apologeticus contra Gaunilonem respondentem pro insipiente“ — argumentum ontologicum Anselmianum exponitur. In errore autem versantur, qui in Monologio idem argumentum exhiberi arbitrantur. Ibi enim argumentatio plane diversa in confusione quadam idealismi et realismi nititur, mihique hoc loco praetermittenda est visa, quum re accuratius inspecta ad argumentum cosmologico-teleologicum potius pertineat quam ad argumentum ontologicum. Alio igitur loco hanc sententiam sub examen sumus vocaturi. In Proslogio autem argumentum ontologicum non tantum exponit verum etiam *primus* exhibuit,

quum qui ante Anselmum in eandem sententiam incidisse dicuntur, hujus argumentationis vix prima posuisse initia censendi sint. Primus quidem hujus argumenti auctor perhibetur vulgo Cleanthes apud Sext. Empir. adv. mathem. IX. p. 88—91., qui Cleanthis hanc argumentationem fortasse ex ejus libro „*περὶ θεῶν*“ petiit, cujus mentionem injicit Diog. Laert. VII. 175. Argumentatur autem Cleanthes (cf. ejusdem hymnum in Stobaei eclogis l. I. c. 3. ed. Heeren. Gott. 1792. p. I. p. 30.) sic: „*εἰ ζῷον κρεῖττόν ἐστι ζώου, εἴη ἄν τι κράτιστον ζῷον· οὐ γὰρ εἰς ἄπειρον ἐκπίπτειν πέφυκε τὰ τοιαῦτα· — ἀλλὰ μὴν ζῷον ζώου κρεῖττόν ἐστι. — πάντων δὲ τῶν ἐπιγείων ζώων — προέχει — ὁ ἄνθρωπος. Τοίνυν κράτιστον ἂν εἴη ζῷον· καὶ οὐ πάνυ τι ὁ ἄνθρωπος κράτιστον εἶναι δύναται ζῷον* — nam propter imbecillitatem *ἀτελὲς καὶ πολὺ κεχωρισμένον τοῦ τελείου· τὸ δὲ τέλειον — κρεῖττον μὲν ἂν ὑπάρχοι τοῦ ἀνθρώπου. τοῦτο δὲ οὐ διοίσει θεοῦ. ἔστι ἄρα θεός.* — Neminem *) opinor praeteribit ex perfectionis gradibus in mundo conspicuis haudquaquam per se naturam sequi omnibus numeris absolutam; sed omnes, quos equidem cognoverim, fugit, hanc nulla ex parte esse Anselmi ratiocinationem **). — Plato, qui ipse quoque vulgo huc refertur, in Philebo p. 29. a. — 30. d. in argumentatione satis diducta haec fere exponit: totum nobis *singulis* omni ex parte perfectius esse et sapientius; quum vero nobis sapientius quiddam vere sit, hinc (nec enim cogitar iposse sapientiam sine *anima* p. 30 c. extr.)

---

*) Sed cf. *Bretschneid.* Dogm. I. edit. IV. p. 465. „*Da wir einen grossen Theil der Stufenfolge realisirt sehen und zwar den geringeren, so — ist mehr als wahrscheinlich, ja es ist moralisch gewiss (? ? ?), dass auch der übrige Theil derselben, — auch Gott — realisirt ist.* In usum vero vocat argumentum cosmologicum. Cf. etiam *Wegscheid.* instit. theol. ed. VIII. p. 241. —

**) Programma de Cleanthe, divinitatis assertore et praedicatore 1819. 4. scripsit *Krugius.*

esse deos sive deum „διὰ τὴν αἰτίας δύναμιν." Quod quantum recedat ab Anselmi argumentatione et quam prope absit ab argumento cosmologico-teleologico in aprico videtur esse. — Admodum consimilis est Augustini (de libero arbitr. II. c. 3—15.) argumentatio satis prolixa. Homines dicuntur omnibus reliquis naturis praestantiores. „Sed manifestum est, inquit, veritatem s. sapientiam universalem mentibus nostris, quae a veritate universali fiunt *singulae* sapientes et non de ipsa sed per ipsam de ceteris judicant, sine dubitatione esse potiorem." Quod autem mentes humanas superat, deus habendus. „Ergo si aliquid excellentius est (veritate universali), ille potius (quam veritas) est deus. Si autem non est, jam ipsa veritas est deus; ergo deus est." Cui argumento recte conferuntur ea, quae Anselmus disputat in Monologio nec vero, quae in Proslogio tractantur et sola huc faciunt. — Boethius autem in consol. philos. III. 10. ita fere concludit: „Omne quod imperfectum esse dicitur, id imminutione perfecti imperfectum esse perhibetur. Quo fit, ut si in quolibet genere imperfectum quid esse videatur, in eo perfectum quoque aliquid esse necesse sit", unde originem habeat imperfectum. Jam sunt imperfecta; sunt igitur etiam perfecta: qui est deus. Videlicet est haec mira confusio argumenti cosmologici cum logicis quibusdam rationibus, quippe quod notio imperfecti a perfecti notione videatur *progredi*. Veruntamen in *Anselmi* memoriam hac argumentatione vix redieris ac velim equidem, Cleanthes usque ad Boethium posthac ex Anselmi antesignanis exulentur.

Quapropter quo cautius nobis videndum est, ne aut argumentum aut judicium sententiae Anselmianae confundamus cum iis argumentandi rationibus, quae provocatae illae quidem ab Anselmo, postea sunt expositae: eo minus dubitare poterimus, quin ordine deinceps audire de-

beamus singulos atque ordinem ducere faciamus Anselmum.

Audiamus igitur Anselmum ipsum, qui (secund. edit. Gerberon.) postquam in Proslogii cap. I. ad deum vociferatus est propter animum illustrandum, ita orationem continuat:

Cap. II.

— Credimus Te (Domine) esse aliquid, quo nihil cogitari majus possit. An ergo non est aliqua talis natura, quia dixit insipiens in corde suo, non est Deus? (Ps. 13, 14.). Sed certe idem ipse insipiens, cum audit hoc ipsum, quod dico, aliquid quo majus nihil cogitari potest; intelligit quod audit et quod intelligit in intellectu ejus est; etiamsi non intelligat illud esse. Aliud est enim rem esse in intellectu: aliud intelligere rem esse. Nam quum pictor praecogitat, quae facturus est, habet quidem in intellectu; sed nondum esse intelligit, quod nondum fecit. Cum vero jam pinxit, et habet in intellectu et intelligit esse, quod jam fecit. Convincitur ergo etiam insipiens, esse vel in intellectu aliquid, quo nihil majus cogitari potest: quia hoc cum audit, intelligit et quidquid intelligitur, in intellectu est. Et certe id, quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu est: potest cogitari esse et in re: quod majus est. *Si ergo id, quo majus cogitari non potest, est in solo intellectu: id ipsum, quo majus cogitari non potest, est quo majus cogitari potest: sed certe hoc esse non potest. Existit ergo procul dubio aliquid, quo majus cogitari non valet, et in intellectu et in re.*

Cap. III.

Quod utique sic vere est, ut nec cogitari possit non esse. Nam potest cogitari esse aliquid, quod non possit

cogitari non esse: quod majus est, quam quod non esse cogitari potest. Quare si id, quo majus nequit cogitari, potest cogitari non esse: id ipsum quo majus cogitari nequit, non est id, quo majus cogitari nequit; quod convenire non potest. Sic ergo vere est aliquid, quo majus cogitari non potest, ut nec cogitari possit non esse — et quidem quidquid est aliud praeter solum Te (Dominum), potest cogitari non esse. —

Cap. IV.

— — Qui intelligit sic esse deum (ut nec cogitatione queat non esse), nequit eum non esse cogitare. —

Totius hujus argumentationis momentum cernitur in verbis: „id quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo; si enim vel in *solo* intellectu est, potest cogitari esse et in re; quod *majus* est.“ Uti enim absurde quis esset negaturus *tri*angulum angulos habere *tres*, quippe qui angulorum numerus *necessario* in voce prolata insit: ita deum i. e. naturam *perfectam ideoque* etiam exstantem non exstare ineptum est de Anselmi sententia judicium. Est enim idem ac siquis diceret naturam exstantem non exstare. Videtur igitur Anselmo in eo praestantia quaedam esse conspicua, quod quid non tantum in intellectu verum etiam „in re“ est. Quod quo luculentius in oculos incurrit, eo minus Billrothio possumus assentiri, qui in dissertatione de Anselmi Cantuariensis Proslogio et Monologio ceteroquin multis nominibus laudabili, existentiam, Anselmo auctore, unam e perfectionibus esse habendam ideoque naturae *perfectissimae* esse attribuendam negat. Enimvero Billrothius recte si contenderet (p. 11.) „argumentum Anselmianum hoc sibi velle, ut monstret, notio-

nem ejus, quo majus cogitari nequeat, *siquidem eam omnino cogitare quis velit*, ita debere cogitari, ut non esse ne cogitari quidem queat" — unde tandem in Proslogii cap. II. interrogatio illa Anselmi: „Annon *est* aliqua talis natura, quia dixit insipiens in corde suo, *non est* Deus?" Qua obsecro ratione componi poterunt Billrothii verba, quae p. 10. Anselmi nomine prodere sibi videtur: „Etiamsi quis negaverit *esse* aliquid, quo majus cogitari nequeat, tamen non negabit, *si* esset, tam potens atque necessarium fore, ut non *posset* non esse" cum Anselmi ipsius verbis (contra insip. cap. IV.) „omnia possunt cogitari non esse, praeter id, quod summe — est"? „Ita (in Proslog. cap. IV. med.) nemo intelligens id, quod deus est, potest cogitare, quia deus non est (i. e. deum non esse); licet haec verba dicat in suo corde aut — cum aliqua extranea significatione"? quod Anselmus (contra insip. cap. IX. med., locum infra in Kantiano judicio perlustrando plenius sum allaturus) eum quoque, qui praefracte *neget*, deum esse, tamen hunc ipsum, deum *exstantem* intelligere et cogitare contendit? quod denique Billrothii illud: „non negabit, *si esset*, tam — necessarium fore, ut non poss*et* non esse" nec Anselmi potest esse nec ullius, nisi ejus qui omni destitutus mente, dei existentiam hac ratione evincere studeat? Scilicet agitur de *existentia* naturae perfectae *evincenda* (non ponenda, unde illud: „*si* esset") et in censum venit, quod saepe jam allatum idemque Anselmus in libro I. de trinitate cap. II. habet: „Sicut rectus ordo exigit, ut profunda fidei Christianae credamus, priusquam ea praesumamus ratione discutere; ita negligentia mihi videtur, si postquam confirmati sumus in fide, non studemus, quod credimus *intelligere.*" Quod quum ita sit, etiamsi Anselmus non clare perspexit (id quod saepenumero fit in cogitando), in eo ipsius argumen-

tum niti, quod unam e perfectionibus haberet existentiam: tamen revera inde proficiscitur ejus argumentatio atque inde est judicanda.

Cartesius denuo Anselmi sententiam disquirendam sumsit nec erat, cur PLATNERUS in libro „*Aphorismen* tom. I. p. 170. dubitaret, num Anselmi vestigia pressisset. Ipse autem in „responsione ad primas objectiones“ p. 60. (utor editione Amstelodam. ea, quae e typographia Blaviana a. 1685 prodiit) locum videtur constituere, quem ad Anselmum obtinet. „Nulla, inquit, in re ab Anglico doctore dissentio. — Argumentum autem Anselmi — ita potest proponi. Intellecto, quid significet hoc nomen deus, intelligitur id, quo majus cogitari non potest; sed est majus esse in re *et* in intellectu, quam esse in intellectu *tantum;* ergo intellecto, quid significet hoc nomen deus, intelligitur deum esse et in re et in intellectu. Ubi est manifestum vitium in forma. Concludi enim tantum debuisset, ergo intellecto, quid significet hoc nomen deus, intelligitur *significari* deum esse et in re et in intellectu; atqui quod verbo significatur, non ideo apparet esse verum.“ — Ad quae quid tandem censebimus Anselmum responsurum fuisse? Idem nimirum, quod respondit Gauniloni (contra insip. cap. IV. et V.) totius probationis locum medium non recte esse expositum. Contendit enim Anselmus strenue, ubi quis cogitat deum i. e. naturam necessario exstantem, ei esse deum concedendum. Ergo quum quis in nomine dei efferendo, *significatione* percipienda simul *cogitet* deum, necesse sit: sponte deducetur ad dei existentiam agnoscendam. Nititur igitur Anselmus in eo, quod a nominis significatione perceptio notionis non magis potest divelli, quam a notionis „dei“ cogitatione dei ipsius agnitio. Quod quum ita sit, hoc certe nomine Cartesius immerito vitu-

peravit Anselmum ac frustra hanc ut *suam* ipsius *opposuit* argumentationem:

„Quod clare et distincte intelligimus pertinere ad alicujus rei veram et immutabilem naturam sive essentiam sive formam, id potest de ea cum veritate affirmari; sed postquam satis accurate investigaverimus, quid sit deus: clare et distincte intelligimus ad ejus veram et immutabilem naturam pertinere ut existat" — „adeo (adjungo haec verba e medit. V. med., quae praecipue in hoc loco illustrando versatur) ut non magis repugnet cogitare deum (hoc est ens summe perfectum) cui desit existentia (hoc est: cui desit aliqua perfectio) quam cogitare montem, cui desit vallis." —

Item plane Anselmus, qui dei existentiam inde recte repetere sibi videbatur, quod deo nihil cogitari posset majus: i. e. satis sibi percepisse videbatur, quid esset deus, etenim naturam *omnibus* numeris absolutam ideoque etiam existentiae perfectione instructam. Tantum igitur abest, ut recentiores ad unum omnes quod sciam, Cartesium demum *) notioni entis, ut ajunt, realissimi argumentum ontologicum superstruxisse recte judicent; ut Cartesii meritum in alia longe re sit quaerendum, quod ne Cartesio ipsi quidem satis perspectum fuisse videtur. Etenim Cartesius quum persentisceret ad argumentum ontolog. stabiliendum opus esse probatione, qua ideam illam dei sive naturae perfectae necessario cogitari commonstraretur, tamquam in praetereundo addit in eadem illa meditatione V: „multis

---

*) *Leibnizius* distinctius etiam argumentum expressit in ep. ad *Bierlingium* data (epp. ad div. edid. *Kortholdt* IV. p. 21.) „Cartesii argumentum est — quidquid ex rei definitione fluit, recte de ea praedicari. Jam in definitione dei comprehendi existentiam, quia sit ens perfectum, adeoque omnes continens perfectiones, inter quas est existentia". Cf. *Spinozam* princip. philos. Cart. I. propos. 5. et *Wolf.* theol. nat. I. 1. p. 24.

modis intelligo ideam dei non esse quid fictitium a cogitatione mea dependens sed imaginem verae et immutabilis naturae.“ Quod qua ratione persecutus sit Cartesius quoque successu tractasse existimandus sit, infra in luce collocare studebimus, ubi de toto hoc argumento judicium laturi sumus.

Ac multum sane in argumenti ontologici natura perscrutanda et aestimanda versatus est Leibnizius, qui quum in aliis locis tum in „meditationibus de cognitionis veritate et ideis (edit. Dut. II. p. 16: „si deus est *possibilis*, i. e. repugnantiam non involvit, sequitur, quod exstat“) et in: „reflexions sur l'essai de l'entendement humain de Mr. Locke (Dut. II. p. 221.) hoc de argumento ontologico fert judicium: „Je ne mèprise point l'argument inventé il y a quelques siècles par Anselme, qui prouve, que l'être parfait doit exister; *quoique* je trouve, qu'il *manque* quelque chose à cet argument, parcequ'il suppose, que l'être parfait est *possible*. Car si ce seul point se démontre encore, la démonstration tout intière sera intièrement áchevée. (Idem fere jam in „secundis objectionibus p. 67.“ postulatur). Quod quum Kantio quoque auctore (in crit. purae rationis p. 624. not.) „ea semper notio sit possibilis, quae sibi non repugnet“, naturae perfectae autem notio nulla laboret repugnantia; Leibnizius prorsus tandem concedere debebit Anselmo. Verumenimvero re accuratius perpensitata, longe aliter judicandum. Quamquam enim omnia si penitus haberemus perspecta, tantum abesset, ut inter id, quod esse *potest* et *vere* est, ullum intercederet discrimen, ut (quae omnium rerum est necessitas) divinum quoque, quodcunque esse *posset*, idem etiam *necessarium* reperiretur: tamen quoniam cognitio nostra angustis circumscripta est cancellis, in argumentando nunquam satis habemus eo, quod esse *potest* (recte ita etiam

Billrothius l. c. p. 12.) i. e. repugnantiam non includit, sed id recte postulamus, quod vere esse commonstratur. Quapropter neque in vituperando Anselmo neque in probando cum Leibnizio poterimus facere *).

Verum reprehensor longe gravior et a multo jam inde tempore victor in medium prodit Kantius (cf. Fries. „*Neue Kritik der Vernunft* II. p. 271 seq. edit. II. — Clodii „*Grundriss der allgemeinen Religionslehre* 1808.

---

*) *Kantius* (crit. purae rationis p. 630. item *Tieftrunkius* dilucidatt. etc. Vol. II. p. 55.) reprobat *Leibnizii* sententiam eo, quod notionem dei habeat analyticam quum sit synthetica. Sed ne analytica quidem notione evicta, possibilitatem (ut breviter loquar) concedere possumus *Leibnizio* tamquam eam, quae rem conficiat ut taceam, quod omnes notiones nostrae, si verum quaerimus, sunt syntheticae et *fiunt* demum analyticae. Quod uberius ut explanem non est hujus loci. — Ceterum *Mendelsohnius* in libro: „*Morgenstunden etc.* 2. *Aufl.* 1817“) idem *Leibnizii* argumentum fusius et accuratius est persecutus p. 313. „*Wir haben immer nur die Denkbarkeit eines Begriffes zu beweisen und sind alsdann gezwungen uns Solches als wirklich existirend zu denken. Ausser der idealistischen Existenz, die auch einem endlichen Wesen als Wahrheit zukommt, muss dem Unendlichen auch reale Existenz zugeschrieben werden,* — *weil* (p. 311.) *die Vereinigung aller bejahenden Prädicate oder Vollkommenheiten nichts Undenkbares ist und zum Inbegriff aller Vollkommenheit offenbar die Existenz mitgehört*“. Quid de *postrema* sententia nobis videatur, lucem accipiet ex iis, quae de *Kantio* disputaturi sumus. — *Jacob* (*Prüfung der Mendelsohn'schen Morgenstunden* 1786) quamquam haud pauca dilucide et egregie disputavit, tamen nec argumentum ontologicum (inde a p. 263.) aut aliorum philosophorum sententias in ea semper, qua debebat, luce collocabat, et luculento est testimonio, quo animorum dominio tunc usus sit *Kantius*. Idem commonitus sum per ejusdem librum posteriorem („*Ueber die Beweise vom Dasein Gottes*“ 1798) qui quidem minus attemperatus est ad severam plilosophandi formam. Argumentum ontologicum exponitur a p. 229—261. — Idem fere cadit in *Heydenrichium* (*Betrachtungen über die Philosophie der natürlichen Religion.* 2 Th. 1791), qui praeterea majore etiam laborat verbositate, quam ipse in praef. ad part. II. sensisse videtur. — *Kantii* vestigiis institit etiam *Ammonius* („brevis argumentationum pro summi numinis existentia recognitio in novis opusc. Gott. 1803.), qui in praef. p. XV. „addi debuisse quam plurima“ ingenue profitetur. —

p. 84. seq.), qui quum antea argumentum Anselmianum sub examen subtilius vocasset in scriptione viro magno dignissima: „*Der einzig mögliche Beweisgrund zu einer Demonstration des Daseins Gottes*“ Regiom. 1763 (quae typis est repetita etiam in Rosenkranzii edit. oper. Kant. I. part. a pag. 161.), rem denuo est rimatus in libro celeberrimo, critica purae rationis inde a p. 620. (edit. 4.). Simili quidem ratione jam Gassendi refragatus est Cartesio in objectionibus adversus medit. Cartesii. „Neque in deo neque in ulla re existentia perfectio est, sed id sine quo non sunt perfectiones. Siquidem id, quod non existit, neque perfectionem neque imperfectionem habet et quod existit pluresque perfectiones habet, non habet existentiam ut perfectionem singularem unamque ex eo numero, sed ut illud, quod tam ipsum quam perfectiones existentes sunt et sine quo nec ipsum habere nec perfectiones habere dicuntur.“ Superstructa sunt haec quoque, ut plurima, quae de hoc argumento disputata sunt, potius sensui erroris, quam clarae conscientiae nec poterant ad distinctam perspicientiam emergere, quod Gassendi, vir in paucis acutus, distinguere nondum dedidicerat, inter „rem ipsam et rei perfectiones“. Ceterum *posuit* contra Cartesium, quod argumentis debebat stabilire. Longe subtilius rem excussit vir ille, qui inter omnis aetatis philosophorum habendus est principes, Kantium dico, qui haec fere contra Anselmum et Cartesium monuit:

„Probe nobis distinguendum est inter judiciorum et rerum necessitatem. Potest quid judicio esse necessarium, quod non item est reapse, velut triangulus neçessario habet tres angulos, sed hac posita condicione, ut *sit* triangulus (cf. etiam Drobisch. Logic. §. 34.). In errorem igitur inciderunt, qui e principiis identitatis rem sibi petere posse videbantur, cujus

praedicatum necessaria esset existentia. Nam in judicio identitatis praedicatum quidem non potest tolli nisi repugnantia excitata; verum utrumque (et subjectum et praedicatum) simul potest negari nulla relicta difficultate logica. Regerunt autem adversarii, hoc etsi usquequaque habeat locum, in notionem naturae *realissimae* non cadere, quod in notione plenae realitatis simul contineatur existentiae notio. Jam concedendum quidem est, notionem naturae realissimae nihil in se habere repugnantiae; sed ut taceamus, quod habemus, quamobrem dubitemus, quo jure a possibilitate (venia sit verbo) *logica* ad *realem* progrediamur: judicium illud „deus est" aut analyticum est aut syntheticum. Si est analyticum, tum eo quod deum exstare dicitis, nihil additis novi (quae enuntiati analytici est natura). Ergo aut notio est res ipsa aut ineptam committitis „tautologiam" (ejusdem rei repetitionem). Sin autem est syntheticum (quod unum videtur cum vero convenire), exstandi praedicatum non poterit dici necessarium, quippe quae necessitas solius enuntiati sit analytici. Restat igitur etiamnunc, ut praedicatum exstandi necessarium esse ostendatur. Quod si quis ita est monstraturus, ut moneat in notione naturae realissimae hoc inesse, ut praedicatum exstandi habeat: in eo vehementer est falsus, quia existentia praedicatum non est reale sed mere logicum. Nimirum „esse" nihil est nisi „positio alicujus rei" nec plus inest in centum imperialibus veris (realibus) quam cogitatis. Nec igitur exinde, quod deus cogitandus est omnibus numeris absolutus, exstandi necessitas repetitur."

Herbartus hanc potissimum Kantii disputationem maximis

effert laudibus in Metaph. I. p. 113 *). Sed fateor equidem libere atque ingenue me inde ab illo tempore, quo primum legi dissertationem Kantii supra allatam et quae disserit contra argumentum ontologicum in crit. purae rationis, non potuisse a me impetrare, ut in viri summi partes discederem, quamvis praeter Hegelium et omnino pantheistas (de quibus infra paucis sumus dicturi), omnes fere, qui recentiore tempore hanc rem sub examen vocarunt subtilius, rem profligatam esse a Kantio existiment. Mentionem injicio tantum Billrothii, qui tamen Anselmi patrocinium ita suscipit, ut ejus sententiam ipsam immutet: Hartenstenii (*Probleme u. Grundlehren der allgemeinen Metaphysik* p. 32. nota) et Drobischii in libro supra adducto, qui sic est inscriptus: „*Grundriss der Religionsphilosophie*" 1840.

Praetermittamus ea, quae Kantius in parte vituperationis suae priore contra argumentum ontologicum falso disputasse nobis videtur; etenim tolli posse sine repugnantia in argumento ontologico *et* subjectum et praedicatum atque ita argumentationem ipsam ad nihilum redigi: id quod ei tantum in mentem potest venire, qui probationis Anselmianae non satis memor sit. Ex Anselmi enim sententia is, qui tollere conatur deum; tamen quum deum in ipso negando cogitet, ponit simul deum ut *vere* exstantem,

---

*) *Billrothius* (l. c. p. 4. et 5.) *Kantii* argumentationem aliter disponit: vereor, ut recte. Fuit omnino *Billrothius* vir in paucis doctus et insigni ingenii acumine praeditus. Verum ne Anselmum quidem ubique est assecutus. Nimirum uti persaepe in commentariis epistolarum ad Corinthios datarum, ita in disputatione de Anselmo composita philosophia Hegeliana haud raro a vera sententiarum intelligentia est abductus; cf. v. c. p. 11., ubi Anselmus „identitatem subjectivitatis et objectivitatis significasse et postulasse, quamquam non justa disciplinae forma demonstrasse" perhibetur. Cavendus nobis est omni diligentia orthodoxismus iste philosophus. Ceterum Hegelio patri idem saepe accidit. —

ergo non tollit. Verumenimvero quo tandem modo Kantius, argumento ontologico recte percepto, optionem poterat dare judicii analytici et synthetici? et omnibus recentioribus illis criticis assentientibus, judicium, ubi analyticum haberetur, ineptam dicere „tautologiam"? Idem vir magnus in criticae purae rationis p. 10. judicia analytica dicit ea (cf. Drobisch. Logic. §. 29.), in quibus praedicato exprompto, nihil afferatur novi sed nota exhibeatur, quae quamvis non distincta cogitatione comprehensa, in ipsa tamen subjecti notione ut ejus pars quaedam contineatur. Ita „corpora sunt extensa" judicium est analyticum, quippe quod in notione corporis eo ipso, quod *corporis* est notio, jam posita sit notio extensionis. Judicio autem synthetico additur aliquid praedicando, quod in ipsa subjecti notione nondum latebat. Quid igitur? Quum in enuntiatione „corpus est extensum" ipso Kantio concedente, praedicatum repetat tantum, quod jam inerat in subjecto nec inde „inepta tautologia" proficiscatur: cur in verbis Anselmi „deus est", in quibus profecto „deus jam in subjecti notione cum omnibus suis praedicatis (etiam cum *exstandi* attributo) latet, et praedicato — est — tantum repetitur", inepta dicitur tautologia inesse? Num Cartesianum illud „cogito (i. e. cogitans *sum*), ergo sum" ineptam continet tautologiam, quum sint, qui existentiae necessitatem inesse praetermittant et idcirco cogant ad enuntiationem illam rite exprimendam? Nimirum „sum", etsi in priore parte nihil videtur esse nisi copula, tamen etiam ut copula *semper* exstandi notionem quamvis obscuratam retinet. „Eo ipso, opinor, quod de dei existentia dubitas (regessisset Anselmus Kantio); est, quamobrem tautologiam istam committam: nec enim distincte intelligis, quid cogites, quum dei notionem mente concipias eumque simul addubites. Etsi (contra insip. cap. IV. med.) nulla quae sunt,

possunt intelligi non esse; omnia tamen possunt cogitari non esse *praeter id*, quod summe est" et (ibidem cap. IX. med.) „quisquis negat aliquid esse, quo majus nequeat cogitari (i. e. cui necessario convenit nota exstandi), ubique intelligit et cogitat negationem (sive dubitationem) quam facit, — pars autem rei negatae est, *quo majus cogitari non potest. Quicunque igitur hoc negat*, intelligit et cogitat, quo majus cogitari nequit" i. e. id quod necessario exstat. Quapropter uti ineptum est, corpus (quae corporis est notio) esse extensum *negare*, ita (ex Anselmi sententia) *deum* non esse (quae dei est notio) ineptum est judicium, quippe quod repugnantia laboret interna. Ac revera quod Kantius (l. c. p. 625.) quaerit: „*dieses oder jenes Ding*, (*welches ich Euch als möglich*(?) *einräume, es mag sein, welches es wolle*) *existirt*, *ist dieser Satz ein analytischer oder synthetischer?*": quod „*dieses oder jenes Ding*" scripsit, ubi Anselmo diserte monente, *una dei notio* in censum venit: quod vel temporis articulum dubitare poterat, num Anselmi sententia esset analytica: quod denique judicium syntheticum *concedentem* introduxit Anselmum sive eos, qui ab ejus parte stent (p. 626.) — haec omnia luculentissime ostendunt, eum in his objectionibus proponendis, argumenti ontologici prorsus fuisse immemorem i. e. aëra verberasse. Nimirum Kantius inde ab illo tempore amisit veram intelligentiam argumenti ontologici, quo (p. 624.) progredi id censebat ab interna possibilitate, quum nitatur in interna quadem *necessitate*. Quum igitur sententia, quam Kantius impugnat, toto coelo sit diversa ab ea, quam Anselmus proposuit et defensitavit, negotii quod Kantius Anselmo facessat, hucusque nec vola nec vestigium exstat. „Atenim extrema argumentationis parte „existentiam" non esse praedicatum reale (sed mere logicum) existimandum evincit et hac sola re Anselmi

ratiocinium evertit." Scilicet isto quoque loco cavendum nobis est, ne in clara luce caligemus. KANTIUS tota ista quoque impugnatione falsissimus est in eo, quod argumento ontologico refragatur ut *synthetico* *), quum (uti modo ostendimus) mere sit analyticum. Hoc ipso autem totam suam argumentationem incidit, aut certe e loco alieno exorsus est. Et quamquam Anselmus, quae enuntiatorum analyticorum et syntheticorum est necessitudo interna (cf. hujus scriptionis p. 10. notam), hinc non multum est lucraturus: tamen fateor equidem ingenue omnino mihi Kantium a vero aberrasse videri. Per transennam duntaxat sententiam meam ostendere potero.

Notio „essendi" (liceat enim brevitatis gratia loqui barbare), qua recentiore tempore philosophi pantheistici potissimum atque omnino ii, qui logicam Aristotelicam ut doctrinam mere abstractam vilipendere sunt ausi, vehementer abusi sunt, nihil aliud est nisi notio abstracta i. e. hoc loco ea notio, quae reliqua fit, ubi quantum fieri poterat, plurima attributa singula a notione rei alicujus removeris atque tandem prorsus cum notione „virtutes habendi" (*Eigenschaften haben*) convenit, ita ut non quaeratur, quae hae virtutes sint singulae. Est enim „existentia" quasi quaedam omnium virtutum epitome. Quum vero reapse sive realiter nihil sit, nisi id et eo, quod quid virtute sive virtutibus certis aliquibus est instructum; in oculos incurrit, notionem existentiae semper esse (Aristotelici) *logicam*, quippe quae sola cogitatione (sive abstrahendi a singulis virtutibus facultate) efficiatur. Quo igitur modo vel in mentem poterat viris circumspectis venire,

*) L. c. p. 626. „*Sein ist offenbar kein reales Prädicat, d. i. ein Begriff von irgend Etwas, was zu dem Begriffe eines Dinges hinzukommen könnte* — hinc omnia reliqua deducuntur.

existentiam praedicatum habere *reale?* Nimirum ideo, quia illud „virtutem sive virtutes habere" (i. e. exstare) modo in *sola* cogitatione positum esse reperiebatur modo ad res extra cogitationem obvias referebatur, quarum virtutes singulae per abstrahendi facultatem in unum coactae, obscure certe sive (ut voce Leibniziana utar) symbolice cogitabantur. Jam quamquam in aprico est, id quoque *realiter* exstare, quod tantummodo cogitatur, quippe quum status animi, quo conficitur notio rei cogitatae, sine ulla retractatione *in* animi substantia sit *realis*, tamen quoniam distinguere consuevimus inter res cogitatas et reales; quod *extra* cogitationem nostram deprehendimus, solum nuncupare saepe solemus *reale.* Quodsi verum quaerimus, quotiescunque de re quadam *tantum cogitata* verba facimus sive apud animum nostrum agimus, duplex semper quiddam subest, et status animi, qui conficit cogitationem atque *eatenus* realem constituit, et negatio rei, quam extra ipsum seorsim exstantem cogitare conatus fuerat animus — ubi vero sermo instituitur de re quadam ut etiam *extra* nos posita, et affirmatio rei realis sive extra nos positae expromitur et status animi, qui simul huic rei reali respondeat atque ita eam cogitet, designatur. In censum igitur venit *duplex* reale, et animus, qui cogitat rem, et res, quae diversa esse ab animo sive vere exstare cogitatur. Ubi autem duplex reale ad se invicem refertur (ut in judiciis illis de existentia latis); de utrocunque praedicamus *reali*, praedicatum semper esse debebit *reale*, quod ineptae est philosophiae ejusque tandem aliquando explodendae, qua distinguitur inter reale ipsum et naturae realis praedicationes. Est igitur exstandi praedicatum *reale* attributum. — „Sed nihil, inquit Kantius, ad imperialium centum cogitatorum notionem (in crit. purae rationis) sive ad Caesaris tantum cogitati notionem (in dissertatione supra me-

morata) additur eo, quod utraque notio vere exstare dicitur, et DROBISCHIUS (l. l. p. 95.) monet, nota existentiae adjuncta, argumentum quidem rei cogitatae adaugeri nec tamen ex ea rem vere exstantem sed vere exstantem *cogitatam* prodire." Atenimvero neutri cum vero mihi convenire videtur. Et KANTIUM quidem commonefaciendum existimo, quod non agitur de centum imperialibus cogitatis et non cogitatis, sed de centum imperialibus aut tantummodo cogitatis aut *simul* etiam cogitatis. Commune igitur est, quod utrique cogitantur; sed plus continent posteriores eo, quod non modo cogitantur, verum *etiam* exstant. Ergo notio imperialium revera est *ampliata* et (id quod demiror KANTIUM praeteriisse) verae rerum rationi non conveniret, si *deesset* notio existentiae *). Quod DROBISCHIO autem, existentiae praedicato addito, non tam ad rem vere exstantem quam ut vere exstantem *cogitatam* devenire videmur; hoc sine ulla retractatione largiendum est: verum quandoquidem res omnino ad nos non pertinent nisi *cogitatae* (ea mente, quam Cartesius huic verbo subjecit) i. e. quandoquidem *conamur* quidem notionem, rei opponere sed semper e regione collocamus notionem notioni: aut nullum proferre possumus praedicatum reale (quippe quum nihil per nos conficiatur, sed tantum cogitetur) aut *hoc* certe nomine non licet existentiae praedicati jus derogare realis. An hoc sibi voluit DROBISCHIUS, rem vere exstantem cogitare, tandem nihil aliud esse nisi rem quan-

*) Rationem duco horum *Kantii* verborum (l. c.): „*Hundert wirkliche Thaler enthalten nicht das Mindeste mehr, als* 100 *mögliche. Denn da diese den Begriff; jene aber den Gegenstand und dessen Position an sich bedeuten, so würde im Fall dieser mehr enthielte, als jener, mein* Begriff *nicht den ganzen Gegenstand ausdrücken und also auch nicht der angemessene Begriff von ihm sein*". Optime vero. Videlicet notio imperialium *tantum* cogitatorum non respondet imperialibus *non* tantum cogitatis.

dam tantum cogitare? Atvero pugnat inter se, rem quandam *vere* exstantem cogitare et *tantum* cogitare i. e. *non vere* exstantem cogitare. Quod autem Drobisch. (l. c. p. 102.) notiones „quid" et „quomodo" (quas coagmentare voluit Anselmus in notione summae realitatis sive perfectionis) unquam in notionem tertiam posse componi negat: in eo mihi a vero prorsus videtur recedere. Nam ubi illud „quomodo" non tantum ad naturam percipientem, verum etiam ad rem sive res perceptas pertinet; in eo semper etiam illud „quid" exprimatur sive mutationem constituat necesse est. Verbi causa ubi deus non tantum cogitatur sive status quidam animi nostri est, verum etiam extra animum nostrum exstat: per istud ipsum „quomodo" posterius (etenim quod *seorsim* exstat) efficitur, ut quum in cogitanda notione dei, *unum* tantum reale cogitatum fuerit (animus), jam duo constituantur *animus et deus:* mutatur igitur illud „quid" (nam negatio alterius realis removetur); est igitur existentiae praedicatum, quo mutatur, revera reale quiddam praedicatum *) i. e. Kantio interprete (l. c. p. 626.) „notio, quae addi queat ad aliam (h. l. dei *cogitati*) notionem". Quae quum ita sit, profecto notio rei, quae exstare extra animum cogitatur, et plus quam res *tantum* cogitata et praedicatum, si quod aliud, *reale* exhibet.

---

*) Dixerit fortasse quispiam, hanc nullam esse realitatem, quae in sola duorum realium *relatione* (*Aufeinanderbeziehung*) nitatur. Sed non est ita. In conscientiam quidem utriusque istius naturae realis (dei per se spectati et animi, qui eum cogitat) non devenimus nisi per relationem illam: sed realia, quum condiciones inter se contenduntur (in deo condicio perfectionis, in animo status, quo cogitat deum), *plane inter se sejuncte exstant*. Quod quum utriusque rei existentia sit realis; praedicatum quoque, quod alteriusutrius existentiam designat *reale* sit pariter necesse est, atque pars aliud quidquam continere non potest, quam quod insit in toto. Est igitur praedicatum existentiae praedicatum *reale*.

Quocirca DROBISCHIUS, vir summe reverendus et judicio instructus admodum subacto, rem acu tetigisse non videtur, quod errorem Anselmi in „fallacia medii falsi" cernendum esse putat. Habet enim argumentationis Anselmianae notionem mediam „perfectionis" notionem, quae in altera parte designet argumentum plenum; in parte altera existentiae agnitionem absolutam. Sed ita non est. Anselmus calculos sic subduxit: 1) natura absoluta eo, quod est absoluta (judicium enim est *analyticum*) omnem habet perfectionem, ad quam referenda est etiam existentia 2) deus autem est natura obsoluta, 3) jam proprie debebat pergere „est igitur deus perfectus"; sed (nec quisquam poterit obstrepere) pro disputationis consilio *partem* tantum perfectionis plenae jam evictae ad conclusionem conficiendam adhibet et pergit: „ergo habet deus perfectionem *existentiae*" (i. e. eam perfectionem, quae posita est in existentia) *). Nec igitur „perfectionis" notio terminum medium constituit, sed „naturae absolutae" (M — M) et eadem est perfectionis notio in propositione majore atque in conclusione. Immo agnitio existentiae absoluta *nequit* (non dico „non potest" neque enim sufficit) terminus esse *medius*, siquidem *non unquam* terminus medius idem potest

---

*) Fac logicorum more M esse signum termini medii, P praedicati et S subjecti conclusionis: tum Anselmi argumentatio ita erit definienda, si *a* signum est judicii affirmantis universalis:

1) M a P (propositio major)
(natura absoluta s. „quo majus cogitari non potest", habet omnem perfectionem ideoque etiam realitatem, quum non-realitas sit negatio s. imperfectio quaedam)

2) S a M (propositio minor)
Deus est natura absoluta

S a P
deus est perfectus s. (parte assumta) *realis* (per figurae primae modum „Barbara").

esse atque *praedicatum* conclusionis, id quod locum haberet, si Drobischius Anselmum recte esset interpretatus *).

Unde igitur virorum acutissimorum infelices hae impugnationes? Mea quidem sententia (nec enim aliud quidquam possum proloqui quam quod sentio) exinde magnam partem sunt oriundae, quod non satis attenderunt ad momentum argumenti Anselmiani proprium. De KANTIO supra jam disseruimus. Quod vero ad DROBISCHIUM attinet; non urgeo equidem (fortasse enim non Anselmi sententiam, sed suum de Anselmo judicium exprompturus fuit), quod l. c. p. 104. argumentationem Anselmianam 1) a deo ut perfecto *et* 2) a deo ut vere exstante progredi vult atque *inde* petitionem principii persentiscere sibi videtur: quae quidem perfectionis et existentiae dissociatio alienissima est ab Anselmo. Verumenimvero quod DROBISCHIUS p. 95. scribere poterat haec: „*Gott ist der Vollkommene, kann nicht bedeuten: Gott ist die vollkommenste Art des Daseins beizulegen; denn dann wäre ja das wirkliche Sein Gottes gar nicht erst zu beweisen, da es doch offenbar die Absicht des ontologischen Beweises ist, aus der Vorstellung Gottes sein Dasein zu deduciren*“: — hoc mihi luculento testimonio est, ne DROBISCHIUM quidem ad argumenti onto-

*) *Billrothius* (l. c. p. 12.) hunc syllogismum ita proponit: 1) deus est ens perfectum; 2) existentia est perfectio; 3) ergo deus est. — Haec nulla est figura logica: certe prorsus ignoro figuram

S M
P M
———
S P

Scilicet a *subjecto* conclusionis nemo potest progredi. Sed modo 2) (quae propositio est *major*) *priore* loco collocasset et (negat enim) hanc *Anselmi* habuisset argumentationem, recte exposuisse existimandus esset. Quid autem in hac argumentatione per se spectata insit „absurdi“, hoc prorsus me fugere ingenue confiteor.

logici momentum satis stricte respexisse. Nimirum uti secundum illud „cogito, ergo sum". in *omni* cogitatione inest existentiae argumentum quamvis omnibus fere ante Cartesium insciis, sive uti Kantio auctore omnem cogitationem cum *conscientia nostri ipsorum* perceptam comitatur notio „ego", quamvis multis et ignorantibus et vero etiam negantibus: ita ex Anselmi sententia in verbis: *Gott ist der Vollkommene*" etsi multi aut non tenent aut etiam negant (cf. locos ex Anselmi scriptis supra allatos), tamen utique hoc semper inest: „*Gott ist die vollkommenste Art des Daseins beizulegen*". Verum omnino et Billrothius (p. 17. et 21.) et Drobischius (p 105.) falso interpretati sunt philosophiae Anselmianae fundamentum, quam aeque atque philosophiae Jacobianae habent *fidem* et immerito eam hoc nomine petitionis principii arguunt. In vulgus quidem nota sunt verba illa Anselmi (Proslog. cap. I exeunte): „Non quaero intelligere, ut credam; sed credo, ut intelligam. Nam et hoc redo, quia nisi credidero, non intelligam." Similiter de fide trinit. cap. II. med. — Atvero paullo post ibidem prodit causam, cur a fide progrediendum videatur: non quo fides ipsius argumentationis sit fundamentum (sive pars), sed quia „qui non crediderit, non experietur et qui expertus non erit, non intelliget." Uti igitur pueri multa recipimus auctoritate commoti, quae postea demum nostro Marte dilucidamus, nec tamen unquam facile percepissimus, nisi fide illa habita, cui jam *nullam* amplius auctoritatem absolutam attribuimus sedtamen cogitandi et cognoscendi facultatem ex aliqua parte acceptam referimus: ita Anselmus primum credendum censuit, qua fide tamen postea, ratione ascita, ne ut fundamento quidem opus sit. Hinc demum intelliguntur Anselmi verba (Proslog. cap. IV. extr.): „Gratias Tibi, bone Domine, gratias Tibi, quia quod *credidi* prius, Te donante:

jam sic intelligo, Te illuminante, ut *si Te esse nolim credere*, non possim non intelligere". Videat ipse BILLROTHIUS sive is, qui ejus partes suscepturus est, quomodo cum his Anselmi verbis conciliari possint haec (BILLROTH. l. c. p. 20): „Anselmus eo, quod fidem postulat antequam intelligi possit, ostendit, se toto libello suo primum nihil aliud *voluisse*, quam iis, *qui deum secundum religionem christianam crederent esse*, — viam munire, — qua conscii sibi fierent de dei notionis natura". Haec alienissima sunt ab Anselmo, qui adeo „insipiente" i. e. atheistae dei existentiam persuasurus fuit. Ceterum BILLROTH. ipse hoc sensit p. 21. „Justus aestimator negare non potest, eum non per totum opusculum sibi constitisse; sed ejus quod in argumentatione inest veri specie perstrictum et captum, plus auctoritatis majoremque vim cogentem libello attribuisse, quam si illa, quae ponit et postulat, non agnoscuntur, vere habet. Huc pertinet, quod non solum argumentum, quod nullo alio quam se solo indigeret, tandem se invenisse gaudet (in Proslogii praefatione), sed etiam quod ea, quae insipiens sive atheus objicere posset, longe se arcuisse putat." Vere haec disputata sunt maximam longe partem. Sed nihil „postulat" Anselmus nisi dei (aut agniti aut non agniti) cogitationem, quam nemo *potest* denegare, nec unquam, quod equidem commeminerim, sibi non „constitisse" reperitur.

Non vereor equidem, ne quis opprobrio mihi versurus sit, quod in his sententiis refutandis tam diu commoratus sum. Nec quemquam videre mihi visus sum, qui recte contra viros illos subacto instructos ingenio disputaverit et eam hodie quoque eorum auctoritatem esse sensi, ut ad unum fere omnes, quorum equidem certe notitiam contraxerim, sententias illorum, quasi extra omnem dubitationem positas repetant. Gaunilonis enim librum „pro in-

sipiente" non sine acumine consarcinatum sed admodum obscurum, recte vulgo non curant. Non intellexit sed sensit tantum Gaunilo Anselmi errorem fundamentalem neque (ut Anselmus in libro apologetico contra Gaunilonem cap. 5. subtilissime urget) argumentum Anselmianum acute quidem infestatum recte exponit aut persequitur. Videlicet cui haec poterant excidere (Gaunilo cap. 5. extr): „Prius certum mihi necesse fiat, revera *esse* alicubi majus ipsum et *tum demum ex eo*, quod majus est omnibus, in seipso quoque subsistere non erit ambiguum" — is nec Anselmianum illud „quo majus cogitari non potest" perspectum habebat nec ad claram suimet ipsius perspicientiam emerserat. Quo tandem modo, obsecro, quod „revera esse alicubi" jam evictum est, „*ex eo demum*, quod omnibus majus est, in se quoque subsistere" ostendi poterit? Et si injusti esse videtur judicis, perfectioris philosophiae judicium hoc loco in usum vocare: nihil certe attulit Gaunilo, quo Anselmo vere negotium facessere existimandus sit.

Quid igitur judicabimus de Anselmi argumentatione? An probabimus? Nos vero minime. Atque ut paucis nostram sententiam exhibeamus; his potissimum rationibus laborare videtur argumentum viri acuti:

1) Primum quidem minime evicit, deum necessario esse naturam *perfectam*. Hanc enim notionem non sedulius excussam assumsit e vulgari ac tralatitia opinione, nec vero ostendit, quo jure ita statuat. Omnia autem ut Anselmo concederentur: fundamento illo „deus est id, quo majus cogitari non potest" labefactato, non haberet, cui ratiocinationem superstrueret. — Quo igitur provocabit? Ad scripturam sacram? At id noluit Anselmus: philosophum enim se gerit in argumento illo proponendo. An ad conscientiam humanam? Atvero eadem haec conscientia aut sibi conscia (ut apud gentiles) aut non conscia (velut

per anthropomorphismos inscios) naturam divinam finxit *imperfectam*. *Posuit* igitur Anselmus consuetudine quadam ductus hanc potissimum dei notionem, hoc est, id ipsum *posuit*, quod ut commonstraretur, propositum fuit. Latet enim in notione *posita*, existentiae quoque nota, quae igitur et ipsa est *posita*. Hanc quidem criminationem Anselmus effugere non poterit. Sed *non* recte Anselmo adversatur simili e loco TIEDEMAN. *Geist der speculativen Philosophie* tom. 4. p. 256: „*Zugegeben, dass unter allen Dingen Eins das vollkommenste ist, so folgt noch nicht, dass kein vollkommneres möglich ist. Und wenn das ist, so müsste auch ein sehr vollkommnes als Gott anerkannt werden.*“ Haec nihil ad Anselmum. Etenim Anselmus ipse contra Gaunilonem cap. 5. reprobat adversarii illud „majus omnibus“ et vult id, „quo majus *cogitari* non potest“. In istud quidem non cadit TIEDEMANNI dubitatio: quaeritur autem, quo jure hanc ipsam dei notionem constituerit. Propius ad rem accessisse videtur DE WETTIUS (*Dogmat. der protestantischen Kirche*. 3. *Ausg*. 1840), apud quem p. 54. haec legimus: „*Der Fortschritt von der beschränkten Vollkommenheit zu der unbeschränkten kann nur dadurch geschehen, dass wir die Idee des Absoluten in uns tragen*“. De qua postrema sententia quid nos sentiamus, alibi professi sumus. Quod autem adjungit DE WETTIUS: „*was hier bewiesen werden soll, ist selbst Grund des Beweises*“, hoc tantum abest, ut contra Anselmum faciat, ut iste quidem hanc ipsam sententiam toto pectore ut suam esset amplexaturus, quippe quem in hac subjecti et praedicati „tautologia“ niti supra monstraverimus. Nec tamen acquiescendum est in hac una causa Anselmo contraria.

2) Namque etsi infitias ire non possumus, exstandi attributum praedicatum esse reale; tamen inde non neces-

sario consequitur, ut in rei perfectae insit notione. Neque enim prorsus convenit, quod post Anselmum et Cartesium demum introductum est nomen naturae *realissimae*, quippe unde facile conjectura capiatur, quasi in natura ista omnia, quaecunque sunt realia, coacervarentur. At nequit ita esse. Multa sunt pradicata realia, quae inter se pugnent nec igitur in una eademque natura coagmentari queant: veluti boni et mali praedicata, quamvis utrumque sit reale, tamen in unum idemque transferri non possunt, cujus rationis nubem exemplorum liceret congerere. Quorsum vero haec? Ut intelligatur, exinde quod praedicatum quoddam recte ducatur reale, non statim consequi, ut necessario insit in naturae perfectae notione, sed id quidem singulari demum argumentatione esse evincendum. „Atenim, dixerit quispiam, attributum existentiae certe non repugnat notioni perfectionis: ergo *potest* subesse et quae *potest* esse affirmatio in natura omnibus numeris absoluta, haec non debet negari." Vertitur igitur totius quaestionis cardo jam in eo, quod etiamsi non omnia praedicata realia insunt in perfectionis notione, tamen quaecunque possunt, subsint necessarium videtur. Verum ne hoc quidem concedendum Exemplo, quod mihi obvium fieri video, rem luce perfundere studebo. Deus, siquidem est, sine dubio substantia quaedam est: namque nobis ipsi imponimus, ubi praedicata sine substrato aliquo cogitare posse nobis videmur *). Omnis autem, quae his in terris sub conspectum

*) Summa persuasione Augustini verba amplector in Ps. 68. „Deus est quaedam substantia, nam quod nulla est substantia, nihil omnino est. Substantia ergo aliquid esse est." Tert. de carne Chr. cap. 11: „Omne quod est, corpus est sui generis: nihil est in corporale, nisi quod non est." — id. adv. Prax. 7. „Quis negavit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis"; cf. Clem. Alex. strom. V. 12. — Pertinent haec quidem ad penetralia notionis dei: ad quae quid mihi aditum recludere videatur, alibi exponere conabor. Quod

cadit substantia, habet colorem quendam, qui etsi nititur in relatione luminis ad res perceptas atque oculos, tamen quum „omne visum loquatur veritatem quandam" („*jeder Schein deutet auf Sein*"), referendus est ad realem quandam rei, cui color suffusus reperitur, condicionem et eatenus nuncupandum est attributum *reale*. Quid igitur? Deus quum sit substantia (simplex illa quidem: sed quod in toto apparet, etiam in quavis particula aliqua quacunque ratione inesse debet): habebitne colorem (sive condicionem illam realem, a qua proficiscitur color) annon habebit? Utrumque enim quae substantiae est notio, cogitari potest nec quidquam ad hanc rem *dijudicandam* ex perfecti notione, quamquam secundum perfecti notionem attributum istud *potest* subesse (i. e. nihil habet repugnantiae) potest duci. Praeterea fac *esse* colorem quendam sive eam condicionem, a qua oboriri queat color: *qualis* color mente erit percipiendus in natura perfecta? Ruber an flavus an viridis an alius? Nihil habemus, quo rem dubiam discutiamus, haec enim omnia attributa non repugnantia, possunt quidem inesse in naturae absolutae notione nec vero debent, et quamquam sese invicem excludunt (sunt enim „disjunctae"), tamen in ambiguo est relinquendum, qui colores sint removendi. Uti colores sunt varii, qui possunt adesse notione perfecti integra; ita existentia quamvis praedicatum reale, varia potest cogitari, notione illa non deleta. Est enim existentia realis *duplex* aut in animo aut extra

---

tamen hoc loco doleo nondum esse factum. Quum enim nondum illustraverim, quam dei naturam statuam metaphysicam: hinc multi fortasse in exemplo supra allato, ineptum nescio quem anthropomorphismum oderari sibi videbuntur. Sed modo qualis dei substantia sit, recte perceperis: in exemplo illo, anthropomorphismi nec vola nec vestigium inesse poterit: quin etiam quod momentum in eo insit, dilucidius tum demum intelligetur. —

animum (et fortasse *simul* in animo) posita. Idealis existentia sive existentia in cogitatione posita (quae ideo est realis, quia nititur in animo *reali*) quin locum habeat, in dubitationem vocari prorsus non potest: alioquin ne notio quidem esset. Igitur *altera* existentia profecto locum habet. Altera *potest* adesse: neque enim excluditur ab altera illa existentia, quam statuendam vidimus, nisi tum, ubi praeter omnem necessitatem haec sola adesse cogitatur: i. e. atheismus probatur. Verum potest etiam *deesse*, quoniam ut vidimus, et sunt praedicata realia, quae notione perfecti illibata, *possint* tantum arcessi et existentiae externae attributum habendum esse in eorum praedicatorum, quae tantum *possunt* adesse, numero ex his videtur emergere.

Facile nisi me fallit, inter omnes conveniet, notionem perfecti eo non perfectiorem reddi, quod non tantum ab *uno* animo, sed a multis, praeter A, etiam a B, C, D, etc. cogitatur. Sin minus, in aprico esset, deum non esse naturam perfectam, quippe qui perfectior esset futurus, si brutae animantes quoque eum perciperent ac naturae inanimatae hac cogitandi facultate essent praeditae. Enimvero etsi notio perfecti ab *uno* animo cogitati, ab ejus perfecti notione, quod a *multis* cogitari praedicamus, aeque est vere diversa *), atque animi ipsi singuli, qui cogitari dicuntur, vere inter se sunt diversi; tamen quum substrata tantummodo sive (nec enim est cur hoc loco accuratius et anxius loquar) loca **) mutentur, in quibus notio illa

---

*) Nam in verbis „notio a *multis* cogitata“ quum insit „notio *etiam* ab *uno* cogitata“ *accessisse* debet aliquid ad notam illam ab uno cogitatam, ut *possit inesse*: id quod luculentius etiam inde apparet, quod jam „notio ab *uno* cogitata“, excluditur per notionem multorum, qui cogitent, *additam*.

**) i. e. animi, in quibus versantur quasi quodam modo notiones.

concipitur et exprimitur quumque *inde* tantummodo illa notionum diversitas profiscatur; loci autem, ubi quid cogitetur, *notionis* quidem diversitatem nec tamen *rei* ipsius constituat *) sive ut aliis utar verbis: quum *sedes* notionis pertineat ad notionem, non ad *rem*, quae notione concipitur: *ubi*cunque notio perfecti commoratur, omni diversitate reali concessa, tamen *res* ipsa cogitata non mutatur nec igitur eo, quod hic aut illic collocatur, *perfectior* potest reddi. Quae si cum veritate concordant, viam nobis munivisse videmur, ad totam rem controversam dirimendam. Nam uti res ipsa eo minime commutatur, quod in hoc vel illo, in uno vel in in pluribus animis concipitur; ita ne eo quidem vicissitudinem aliquam subit, quod seorsim exstare cogitatur: nempe ita quoque opinor nihil fit, nisi ut sedes sive locus mutetur, ubi eadem res modo ut notio (in *animi* cogitantis substrato) modo pro se ipsa (in *suo ipsius* substrato) commoratur. Si res non esset eadem; animi status, qui dicitur ejus notio, non esset genuina imago sive esset falsum speculum; nam in speculo quaevis imago quamvis nemo quisquam infitias iverit reali eam praedicato a re ipsa expressa distineri, tamen idem esse debet quod res ipsa, quum ejus sit *imago*. Haec igitur loci (i. e. rei *in se* subsistentis et speculi, *in quo* expressa est res) diversitas, rei sive hic sive illic cogitatur, discriminationem constituit nullam. Ita aristam v. c. cogitamus eamque etiam *extra* nos conspicuam esse animadvertimus. Ergo notio quidem aristae immutatur, nova enim eaque realis accedit nota existentiae realis, quae antea (in arista

*) Teneo equidem optime illud „duo ubi idem (i. e. quod idem *dicitur*) faciunt, non est idem“ et probe scio ne levissimam quidem notionem a singulis animis semper aliqua quacunque ratione inter se dissimilibus cogitari eandem. Verum istud hoc quidem loco non esse quamobrem in censum vocetur, vix est cur moneam.

tantum cogitata) et deerat et negata erat — verum arista manet eadem i. e. easdem virtutes (non dico „notas“) habet, quoniam *locum* tantum commutans ex *animi* substrato transit ad *proprium* substratum. Manet sane tum quoque *notio*, quandoquidem nobis quidem rés ne èxstant quidem nisi per notiones et ut notiones; sed non ut notio notionis i. e. rei *cogitatae* sed *vere* exstantis i. e. quoad nos id assequi possumus, ut res ipsa quippe in alium locum translata.

In contrariam igitur atque Kantius sententiam devenimus. Kantius praefracte negat notiônem dei, addito exstandi praedicato, augeri; sed augetur revera, quod *etiam* (en augendi particula) extra animum exstare et *novum* est attributum et *reale*, quippe quod ad duas res *reales* (ad animum cogitantem et ad deum cogitatum eumque extra animum positum) referri debeat. Nos vero concedimus Anselmo *notionis* incrementum, sed a *loci* tantum diversitate id progredi ostendimus, quae quidem ad realium inter se relationem (per naturam quandam cogitantem perceptam) attinet (hinc notionis diversitas) nec vero ad realium statum sive rationem internam aut implendam aut imminuendam ullo modo potest referri: non aliter quam angulus *rectus* ABC, quamvis loco diversus ab angulo *recto* DCF et vero etiam realiter disjunctus (*duo* enim sunt anguli); tamen ut angulus rectus *easdem* habet virtutes.

Quid ergo? Unde tandem homini tam subtili et circumspecto, qualis est Anselmus, vel in mentem poterat venire, exstandi praedicatum ad perfectionem rite constituendam referre? Nobis certe non videmur a vero aberrare, ubi hoc inde repetendum censemus, quod negatio existentiae verae sive extra animum nostrum positae, longe saepissime consociata esse solet cum rationibus nostrae

utilitati ideoque voluntati non congruentibus. Luculentum hujus rei exemplum praebent centum illi imperiales Kantiani. Videlicet quum haud facile nos fugiat a centum imperialibus tantum *cogitatis* longe minus in nos utilitatis redundare, quam a veris imperialibus: hunc defectum emolumenti nostri ad rei ipsius defectum ut transferamus facili negotio movemur, quippe qui nostri ipsorum amor jam saepenumero philosophis quoque imposuerit. Non satisfacit deus, qui sola cogitatione conficiatur: verus ac genuinus deus *desideratur:* hinc *sola* dei cogitatio defectum sive imperfectionem videtur continere et vel species arripitur, ut vere constituatur. Nec igitur mirum nobis cadet, quod nemo homo, quantum equidem cognovi, diabolum i. e. naturam per*fecte* corruptam ex suimet ipsius notione i. e. e perfectae naturae notione deducere studuit.

Ex his autem omnibus hoc videtur effici, ut deum quamvis naturam perfectam, exstare *posse* concedamus, esse *debere* negemus. Res enim (id quod agitur) manet eadem; notio autem impletur et mutatur per loci, ubi res exstat, diversitatem, quae rem ipsam non immutat.

Desideratur fortasse illud, quo vix propius quidquam abesse videatur: etenim ut moneamus, totum hoc argumentum omnibus aliis difficultatibus praetermissis, eo potissimum laborare, quod nihil prorsus afferat, cur deum cogitemus necesse sit. Ita Billroth. (p. 14.) postulat ad argumentum corroborandum, ut „demonstretur, nos illam ideam non pro lubitu posse vel cogitare vel non cogitare sed *necesse* esse, nos eam cogitare" et similiter Cartesius in meditatione V. p. 33. „multis *modis* intelligo ideam dei non esse quid fictitium a cogitatione mea dependens; sed imaginem verae et immutabilis naturae." Fateor equidem me ipsum quoque ab initio in eadem sententia fuisse; sed Anselmi argumentatione accuratius pensitata, eam ab-

jiciendam et Cartesium in eadem illa V. meditatione, quum verba allata scriberet, ab argumentatione ex *simplice notione* petita defecisse intellexi. Ubi scilicet argumentis efficienda est *necessitas* dei cogitandi sive persuasio „nos non pro lubitu deum vel cogitare vel non cogitare", priusquam ad argumentum ontologicum aggredi liceat; solis luce est illustrius, argumento ontologico prorsus non amplius opus esse. Necessitate enim illa constituta, deum, credo, vere esse jam evictum erit. Quod Anselmus quum optime teneret, minime omnium voluit nec quidquam (Billrothio frustra repugnante p. 14. et 20.) postulavit, cui ut fundamento inniteretur, praeter dei cogitationem, quam et ei, qui deum negaret et ei, qui deum fide amplecteretur, praesto esse recte contendit. Id tantum peccavit Anselmus, quod deum *talem* potissimum cogitandum *posuit:* quo aut satis habere aut argumentum ontologicum plane missum facere debebat.

Paullo aliter Cartesius, quamquam hoc quoque loco magna nobis cautio est adhibenda, ne praepostero judicio in errorem incidamus. Etenim non potui a me impetrare, ut in Billrothii sententiam (p. 15. et 16. expositam) discederem, quippe qui Cartesium meditatione V. mere ontologice conclusisse neget atque huic fundamento totam argumentationem suam superstruxisse ajat, quod notionem naturae perfectae non a nobismet ipsis, sed ab hac ipsa natura absoluta arripere nos potuisse reperiamus. Hinc meditationem V., quae exponit argumentum ontologicum, niti vult Billrothius in medit. III., ubi posterior illa sententia exhibetur. At non est ita. Cartesius ipse p. 62. (in responsione ad objectiones primas) dissociationem utriusque argumenti (nam e Billrothii sententia esset unum) clarissimis his verbis constituit: „Quia *duae* tantum sunt viae, per quas possit probari deum esse, *una* nempe per

effectus, et *altera* per ipsam ejus essentiam sive naturam, *prioremque* in meditatione tertia pro viribus explanavi: non credidi alteram esse postea praetermittendam." Intelligit autem meditationem quintam. Habuit igitur Cartesius argumentum illud duplex, quod alterum ex altero non esset suspensum et sanequam mirus est error ille dogmaticorum vulgaris, ex quo alterum quoque argumentum ad probationem referunt ontologicam. Ab *effectu*, ipso Cartesio interprete, proficiscitur: pertinet igitur ad argumentum cosmologicum, ibique nobis quoque exponendum erit et judicandum *). Nihilo secius confitendum est, Cartesium non usquequaque sibi constitisse et in eadem illa responsione ad objectiones primas, immensam dei potentiam in usum vocat, per quam propria sua vi *possit* exstare; ergo vere semper exstet. En tibi argumentatio valdequam egregia: *ponitur* esse deum *omni*potentem: ac vicissim ex *istius* dei omnipotentia, ipsius existentia deducitur. Verum omnino non potest dubium esse, quin Cartesius alterum suum argumentum (cosmologicum) pluris fecerit, quam argumentum ontologicum, cujus errorem fortasse e longinquo persentiscebat nec tamen in clara luce collocare poterat. Certe sola argumentatio cosmologica, quod sciam, *saepius* a Cartesio in reliquis libris exponitur: cf. meditat. p. 89. prop. II. et princip. philos. I. 18.

Nihilominus nostra quoque memoria sunt, qui argumenti ontologici patrocinium susceperint. Praeter DEDEKINDIUM (*Vertheidigung des ontologischen Beweises* 1786) memorandus est maxime MENDELSOHNIUS (in libro, quem supra attuli „*Morgenstunden etc.*"). De argumento onto-

---

*) *Spinoza*, quem *Billrothius* cum Cartesio componit, prorsus huc non spectat, quippe qui ab alia plane dei notione exordium capiat. Est enim pantheista materialis, quum Cartesius sit deista.

logico quatenus ab universali perfectionis notione repetitur, nihil fere habet novi nec igitur est, cur eum seorsim refutemus (p. 306 seqq.). Duo tantum Mendelsohnii viri subacto praediti ingenio sunt propria, quorum verbo certe mentionem faciam. Alterum ducitur ex naturae independentis notione. „Etenim natura independens aut est aut non est. Ubi non est, esse debebit, *cur* non sit: quae causa aut in natura independenti ipsa aut extra eam posita esse censenda erit. Jam vero *extra* naturam independentem sita esse non potest, quippe quod ipsam naturae *independentis* notionem evertat: nec *in* natura independenti ipsa recte quaeritur; neque enim hujusmodi naturae notio impossibilitatem, ut ita dicam, logicam continet. Ergo non est, cur non sit: ergo est." — Eximium nobis vir subtilis testimonium impertivit, qua cautione opus sit in rationibus metaphysicis et logicis distinguendis. Enimvero largiendum est sine ulla retractatione (quod demiror Hasium dubitasse) naturam independentem ubi putetur non esse, habere debere, quamobrem non sit *). Verum ubi causam cur natura independens non sit, extra hanc ipsam sitam esse posse negat; pessimo errore notionem rei et rem ipsam inter se confudit. *Notio* (verbi causa) naturae independentis exinde tolleretur, si quis omnia dictitaret esse fortuita, quippe quae sese invicem definirent (cogitasse autem Mendelsohnium de natura quadam independenti ab universo distincta, et totius philosophiae Mendelsohnianae principiis est consentaneum cf. l. c. p. 233. et maxime

*) Videlicet atheistis potissimum si qui sunt, hoc cordi esse debebit. Non poterunt satishabere eo, quod argumenta pro dei existentia allata ut agnoscant sibi non videntur cogi; verum rationes expromere debebunt, cur a dubitatione ad negandi firmitatem progredi audeant. Quod quum non queant, atheista mentis sanae non impotens ne cogitari quidem potest nisi *scepticus*.

p. 245. et e praepositione „extra“ per se admissa, satis est in propatulo). En tibi causa *extra* naturam illam independentem (quippe cogitatam) posita, quam (id quod infra commonstare conabimur) argumento aut cosmologico aut teleologico sine successu semovere studuerunt. Potest igitur profecto extra naturam illam independentem cogitari causa, quae naturam independentem tollat nec ipsa removeatur, priusquam esse deum, omnium rerum conditorem, alia ratiocinatione sit effectum. Ergo antequam a notione hujus naturae possimus progredi: aliunde conficere debebimus, ut omnino sit et tum demum inde, MENDELSOHNIO duce, ad eam agnoscendam aggrediemur. Id quod absurdum est. Sed accepisse videtur MENDELSOHNIUS naturam independentem *metaphyce* i. e. vere exstantem, quae quum sit independens, non potest per causam aliquam externam ad nihilum redigi: ita vero petitio principii inest, siquidem *posuit* eam naturam, quam demonstrare volebat. Postremo facilius etiam in oculos incurrit, inde quod notio naturae independentis nihil habeat repugnantiae, nihil consequi, nisi ut *possit* deus esse. Igitur explodenda haec argumentatio. — Quod idem luculentius etiam emergit e subtiliore argumenti alterius consideratione, quod an operae pretium esset afferre, fateor equidem me nonnihil temporis haesitasse. Loco adducto p. 239 seqq. contendit MENDELSOHNIUS, non tantum omnia, quae *possint* esse, cogitentur necesse esse (id quod in dubitationem adduci nequit *)); verum etiam omnia, quae *sint*, a natura quadam cogitandi facultate

---

*) Neque enim in *Jacobii* (*Prüfung der Mendelsohnischen Morgenstunden* p. 246.) sententiam possum discedere, ex qua certe *objectiva* possibilitas etiam extra cogitationem exstare censenda est. Possibilitas ut possibilitas semper nititur in relatione rei alicujus, quae est et alterius, quae *nondum* est. Omnis autem relatio ista nititur in cogitatione et idcirco est „*subjectiva*“. Sed potest *fundamentum* habere objectivum.

instructa percipi debere; nam (p. 294.) rem sine notione nullam habere veritatem; veritatem sine natura, quae eam cogitet, omni carere evidentia: ergo ne esse quidem veritatem. Jam a nulla natura fortuita et imperfecta omnia, quae sint, comprehendi; multa enim nos fugere: ergo esse mentem infinitam, quae omnia dilucidissime et plenissime percipiat. — Hujus argumentationis vitium non est quaerendum in confusione quadam ejus, quod potest esse et vere est (JACOB. l. c. p. 243.); verum in eo cernitur, quod MENDELSOHNIUS nullo pacto effecit, ut non esse, quod non cogitetur, concedamus. Hoc quoque loco quadrata cum rotundis commiscet. Confundit metaphysicam cum logica doctrina, in qua profecto id demum vere esse *agnoscitur*, quod „evidenter" cogitatur.

Minoris etiam ponderis videntur ea esse, quae GERLACHIUS (*Lehrbuch der philos. Wissenschaften* II. p. 332.), WEGSCHEIDER., BRETSCHNEID. (in libris suis dogmaticis) et Ammonius (in commentatione supra allata p. 203. et in summa theolog. christ. edit. IV. p. 100.) de argumento ontologico disserunt*). Et Ammonius quidem, cujus vestigia fere premunt, haec nobis impertit. „Quum idea infiniti, qua deum concipimus, intellectui canonem praebeat in judicandis veris et falsis; falsum autem e mero phantasmate judicari et corrigi nequeat (Eph. 5, 13.); colligitur etiam merito, notioni absoluti, quae mentem humanam occupat et per vim conscientiae et officii etiam impiam arguit, respondere veritatem aeternam in intellectu numinis archetypo, hoc est deum *nomen habere ab essentia* (Ex. 4, [legendum 3,] 14. Jes. 42, 8.) *ideoque vere existere propter*

---

*) *Garve* in libro „*über das Dasein Gottes*" 1807, quod equidem meminerim (perlegi autem libellum totum), nihil habet de argumento ontologico. Totus versatur in argumento cosmologico et teleologico illustrando.

cogitationis divinae necessitatem absolutam." (Summa theol. christ. p. 100.). — Verum de locis primum scripturae sacrae, quos vir summe venerandus attulit, ne unus quidem videtur convenire. Ex. 3, 14. tantum abest, ut de necessitate divinae essentiae ut vere exstantis sit sermo, ut אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה (quae imperfecti est notio) nihil designet nisi statum perpetuum sive immutabilitatem. Recte Vulgata interpretata est „sum qui sum", concinnius quam LXX *εἰμὶ ὁ ὤν* (cf. Apoc. 1, 4. 8. Plutarcho teste de Iside et Osiri cap. 9. templo Isidis Saitico haec verba fuerunt inscripta: „*ἐγώ εἰμι τὸ γεγονὸς καὶ ὂν καὶ ἐσόμενον καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν*" cf. Tholuck. *Vermischte Schriften* I. 1830. p. 384 seq. et imprimis Tuch. in comment. ad Gen. p. XXXIV. et XXXV.). — Jes. 42, 8. ne alludere quidem videtur ad vocis יְהוָה originationem; urget enim nomen istud eatenus tantum, quatenus ut deus summus et verus a reliquis diis (commenticiis) dissociatur. His igitur locis superstrui non poterat viri summi sententia. — Haud ita facile judicium constituitur de Eph. 5, 13. Mihi quidem locus paullulum impeditus ita videtur expediendus. Versu 11. Paulus commonefecerat Christianos, ne quum *τέκνα φωτός* (v. 9.) i. e. intelligentiae et morum veritate per Christum essent imbuti, commercium haberent cum *τοῖς ἔργοις — τοῦ σκότους* (Rom. 13, 12.); *sed* ut e contrario gentiles peccatorum convincerent. Cujus admonitionis partem *priorem* stabilit versu 12. et partem *posteriorem* versu 13. Hinc versu 12. *γάρ* et versu 13. *δέ*: utraque enim causa sibi pariter est opposita atque sententia (v. 11.), quae fulcienda est, ipsa. Nimirum Harlessius quamquam in eo est falsus, quod *κρυφῇ* (v. 12.) contra omnem usum, qui notionem „occultati" non „obscuri" exhibeat, et contra loci ipsius rationem internam, eodem modo accepit, quo *ἔργα σκότους*: in eo tamen ad verum

propius accessit quam MEYERUS, quod v. 12. et 13. aeque inesse censet causam *bi*partitam atque res illustranda (v. 11.) ipsa quoque est in duas disposita partes. Continet igitur versus 13. causam τοῦ „ἐλέγχετε“ (v. 11.) hoc vere ratiocinio: „Quum omne, quod illustratur, *lumen* sit (*πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἐστι*) et „quod est in effectu (i. e. in *τῷ φανερουμένῳ*, quod *est* *φῶς*) id debeat esse etiam in *causa*“ (i. e. in eo, quod illustrat) quumque omnis reprehensio (*ἔλεγχος*) sit illustratio ut ita dicam, sive actio illustrandi (*τὰ πάντα ἐλεγχόμενα — φανεροῦται* i. e. quodcunque convincitur, in clare luce collocatur): omne *ἔλεγχος* proficisci debebit a lumine (*ἀπὸ „τοῦ φωτός“*). Jam vero estis *τέκνα φωτός* (v. 9.): ergo recte postulo, ut „*ἐλέγχητε*“ (v. 11.). Luminis enim est, ut illustret.“ — Ita Paulus: quid vero inde consequi putabimus? An „falsum e mero phantasmate judicari aut corrigi nequire“? Videlicet prorsus me fugit, quidni ex *idea* alicunde nobis impressa nec tamen in *personae* statu expressa, judicandi norma possit peti? Quid est, cur *ideam* aliquam „*φῶς*“ illud esse negemus, quod Paulus sibi expostulat? Hujusmodi ideam non posse cogitari nisi personam, *aliunde* atque ex argumento ontologico, via vel cosmologica vel teleologica ostendendum erit, nec potest negari, argumentum Ammonianum longe magis ad argumentum cosmologico-teleologicum quam ad ontologicum pertinere. Quapropter si cui, quae hic contra argumentationem istam in medium attulimus, non satisfacere videbuntur; ea erunt conferenda, quae adversus argumentum cosmologicum et teleologicum disserturi sumus.

Restaret ut pauca scholae HEGELIANAE et maxime HEGELIO ipsi responderemus, qui variis locis argumenti ontologici patrocinium suscepit (*Beweise für das Dasein Gottes* opera tom. XII. edit. MARHEIN. p. 471. et 477. — Encyclop. ejusdem editionis tom. VI. p. 112. cf. SCHELLING.

Zeitschrift für speculative Physik I. p. 39.). Atvero in tota hac re dijudicanda probe nobis cavendum est, ne in ipsius HEGELII errorem incidamus, qui Anselmum fere ex alio loco judicaverit et probaverit atque Anselmus ipse voluit. Abhorrebat enim hic penitus a pantheismo. Quod quum HEGELIUS saepe ipse (maxime in libro „*Beweise für das Dasein Gottes*“) certe indicaverit; STRAUSSIUS vero (*Dogmat.* I. p. 398.) ingenue concesserit; eo optime ostendamus, idoneos nos esse, qui cautionem illam adhibeamus, quod argumenti ontologici defensores istos, qui ne sunt quidem defensores, missos facimus. Iis solis verum quiddam proloqui *poterunt* videri, qui pantheismum ut probent a se impetraverint. Nos quidem quid hac de re sentiamus, in hujus scriptionis exordio per transennam certe ostendimus.

TYPIS GUIL. VOGELII, FILII.

